

Chronicon

[Page 3]

Incipiunt Chronica de hiis omnibus que in Regno Sicilia gesta sunt uel ubique per orbem, a tempore regis Guillelmi secundi usque ad tempora Frederici secundi, Romanorum Imperatoris semper Augusti, Iherusalem et Sicilie regis tractata per Notarium Ryccardum de Sancto Germano. Solet etas antiquior et prouida priorum auctoritas digna memorie quecumque per orbem gesta describere relinquenda posteris ad doctrinam, et eorum instar adhuc prudens sequentium natio idem agit, ne uel omissa depereant, aut neglecta in notitiam effugiant futurorum. Horum siquidem emulator ego Ryccardus de Sancto Germano notans [notanda N]otarius, cui que seruit hystoriographis Musarum prima obsequitur, de qua metrice scriptum repperi: "Explicit ingenio res gestas ordine Clio" [nisus sum pro] uiribus ingenioli mei que ubique terrarum et presertim in regno Sicilie gesta sunt diebus meis, uisu cognita seu fideli relatione percepta, ueritate seruata licteris tradere, et in hoc presens compilare uolumen, ut ex hiis discat futura posteritas uarios esse temporum cursus, memineritque prudenter bellum in pace timere et pacem iterum sperare, post bellum. Quoniam igitur regni filius eius [sum, qui legerit, non me causatur detestando si] regni gesta scribo diffusius, [aut de contingentibus quid de cunctis dicam] et si non prosint: singula queque iuuent, et Dei potius est hominis omnium habere memoriam. Sumens proinde a tempore quo Guilielmus secundus rex Sicilie inclitus recolende memorie obiit, pontificatus uero Clementis pape anno secundo, per chronicam hec inclusi, quibusdam premissis in laudem regis ipsius, et que regni tangunt negotia et relatu digna sunt obmissis; in eius nomine; qui os Zacharie olim aperuit, os meum aperiat ad loquendum, et lingue mee uinculum soluat, confidenter singula queque locum teneat sortita decenter. Explicit prologus.[Page 4]

Tempore quo rex ille christianissimus cui nullus, in orbe secundus, regni huius moderabatur habenas, qui inter omnes principes Princeps sublimis et habundans in omnibus opibus erat, stirpe clarus, fortuna elegans, uirtute potens, sensu pollens, diuitiis opulentus. Erat flos regum, corona principum, Quiritum [speculum, nobilium decus, amicorum fiducia, hostium terror, populi uita et uirtus, miserorum inopum peregrinantium salus, laborantium fortitudo: legis et iustitie] cultus tempore suo uigebat, in regno sua erat quilibet sorte contentus; ubique pax, ubique securitas, nec latronum metuebat uiator insidias, nec maris nauta offendicula pyratarum. Sed licet tot et tantis eum ditauerit et dotauerit bonis, per quem reges regnant et principes dominantur, feceritque illum pre cunctis terre regibus gloriosum, in hoc tamen ingloriosum illum reddidit, quod eum prolis negatione multauit; conclusit enim uterum consortis illius, ut non pareret uel conciperet filium et ne relinqueret sui superstitem super terram. Quapropter considerans rex ipse felicitatis sue tempora a domino accepisse, et quod eum absque liberis sors fecerat infelicem, cogitauit ut sapiens sapienter placare Dominum, ut fecundam redderet quam sterilem fecerat, cogitauit de thesauris suis edificare sibi domum in Monte Regali ad honorem gloriose Uirginis matris eius, quam ditauit compsit et auxit. Ditauit possessionibus, compsit auri ornatu, auxit et musiuo opere lapidumque pretiosorum colore diuerso et talem ad finem usque perduxit, qualem nullus regum[Page 5]

aut principum in toto terrarum orbe construxit temporibus nostris. Erant ipsi regi duo familiares precipui, opere apud ipsum et sermone potentes. Gualterius panormitanus archiepiscopus et Matheus cancellarius regni sui, quorum prudentia et consilio tota ipsius curia[Page 6]

ducebatur. Hiis duobus, quasi colu[m]pnis firmissimis, omnes regni Magnates obsequendo adhererant, cum per eos quicquid a Curia regia peterent facilius impetrarent. Hinc factum est, ipso Cancellario suadente, ut rex ipse in predicta ecclesia beate Uirginis in dyocesi Panormitana constructa fieri a Romana ecclesia archiepiscopum impetraret. Quod idem archiepiscopus ad instinctum ipsius cancellarii factum intelligens, nam odio se habebant ad inuicem, quamquam se in publico diligere uiderentur, et per inuidiam detrahentes libenter unus alteri in occulto, hanc suam iniuriam et capitis diminutionem patienter portauit ad tempus; qui tandem processu temporis cum non posset quod factum fuerat per ecclesiam reuocare, hoc fidei subdole procurauit. Erat ipsi regi amita quedam in palatio Panormitano, quam idem rex de consilio iam dicti archiepiscopi Henrico Alamannorum regi filio Frederici Romanorum imperatoris in coniugem tradidit. Quo etiam procurante factum est, ut ad regis ipsius mandatum omnes regni comites sacramentum prestiterint, quod si regem ipsum absque liberis mori contingeret, ammodo de facto regni tamquam fideles ipsi sue amite tenerentur et dicto regi Alamannie uiro eius.

Anno Millesimo CLXXXIX. Accidit autem processu temporis ut rex ipse, cuius memoriale in seculum, sicut Domino

placuit, sine liberis mense Decembris decederet, cuius decessum cunctis regni filiis merito deplorandum defleri hac ritmica lamentatione percensui.[Page 7]

Plange planctu nimio, Sicilia,
Calabrie Regio, Apulia
Terraque Laboris.
Uox meroris
intonet - et personet
nostris horis,
suspendatur - organum
omnis oris.

Rex noster amabilis,
uirtute laudabilis,
euo memorabilis,
Guillelmus decessit;
hunc oppressit
mors crudelis.
O infelix
Regnum sine Rege
iam non es sub lege!

Presules - et comites
uos, Barones, plangite
planctu lacrimabili,
planctum queso ducite,
de querela flebili.

Uos, matrone nobiles,
Uirgines laudabiles,
olim delectabiles
et uoce cantabiles
[modulata,
estote n]unc flebiles,
re turbata.

lacet Regnum desolatum,
dissolutum et turbatum,
sicque uenientibus
cunctis patet hostibus;
est ob hoc dolendum
et plangendum omnibus.

Omnes Regni filii
tempus exterminii
uobis datum flete;
hoc uerbum: "gaudete", [Page 8]

uobis est sublatum,
tempus pacis gratum
est absortum.
Iam ad ortum

et occasum sonuit:
Rex Guillelmus abiit,
non obiit.
Rex ille magnificus,
pacificus
cuius uita placuit
Deo et hominibus:
Eius semper spiritus
Deo uiuat celitus.

Post huius Regis obitum quanto inter Regni comites sit orta dissensio et turbatio subsecuta, sequens huius libelli lectio declarabit. Nam nulli eorum fuit equa uoluntas, omnes inter se ceperunt de maiori parte contendere et ad Regni solium aspirare, et obliti iuris iurandi quod fecerant, eorum quilibet contra facere hanelabant.

Factum est autem, ut cum suis complicitibus, ne pars Archiepiscopi preualeret, Cancellarius optinuerit in hac parte; et tunc uocatus Panormum Tancredus comes Licii, Romana in hoc curia dante assensum est per ipsum Cancellarium coronatus in regem.

MCXC. Tancredus iste ducis Roggerii filius fuerat naturalis, cuius pater Roggerius primus in regno Sicilie regis sortitus est nomen, et hac de re quia hunc habebat titulum quod de stirpe regia descendisset, inter alios regni Comites est electus in regem. Qui postquam [Page 9]

assumptus est laborauit pro uiribus qualiter regni fines in pace disponderet et sibi, rebelles

et aduersarios subiugaret. Et primum quidem quinque Sarracenorum Regulos, qui ob metum christianorum ad montana confugerant, de montanis ipsis Panormum redire coegit inuitos; atque ut ceteros regni Comites et barones ad suam fidelitatem conuerteret et mandatum regales effudit opes, et diu seruatas est ausis frangere gazas. Hic Ryccardo Acerrarum comiti, cuius soror sua coniux erat de qua geminam suscepit prolem, auri talenta plurima expendenda transmittit, quibus omnes de principatu et Terra Laboris eidem regi contrarios flexit ad mandatum ipsius. Tunc etiam Roffridus Casinensis abbas ipsi regi iurauit. Erat ea tempestate in Apulie finibus Roggerius quidam Andrie comes, qui se non reputabat dicto rege inferiorem, cum tempore memorati regis Guillelmi totius regni magister lustrariarius fuerit, et in Apulia plenum tunc dominium exerceret. Hic telo percussus inuidie de Tancredi comitis promotione in regem, sibi subesse dedignans, contra ipsum seditione facta, turbare ad eum conuersos pro uiribus cepit misitque concito ad Henricum Alamannie regem, quod ueniret uel mitteret regnum Sicilie sibi iure uxoris pertinens, quod Tancredus comes Licii usurpauerat recepturus. Qui absque more periculo quendam Henricum Testam imperii Marescalcum cum multitudine graui mittit in regnum. Et ueniens in Apuliam nullo obstante ad ipsum Andrie comitem, primum casale quoddam quod Cornetum[Page 10]

dicitur, ad abbatiam Uenusii pertinens, pro eo quod abbas loci ipsius in partem cesserat dicti regis, hostiliter intrans cum predicto comite, suis dedit in direptionem et predam; et que potuit dicti regis parti fauentibus mala irrogans, tandem cum minorificato exercitu in Alamanniam reuersus est.

Dictus uero Andrie comes in Apulia remanens, firmata rocca Sancte Agathe quam tunc ipse tenebat, de suis confisus uiribus, se in Asculo recipit contra regem. Quem dictus Acerrarum comes intus circumposita obsidione coartans, cum flectere illum precibus et promissis non posset, uocatum ipsum ad colloquium quadam die, proditorie cepit et miserabili morte dampnauit.

Eo anno Fredericus Romanorum imperator cum ingenti cruce signatorum exercitu Iherosolimam petens, sinistrante fortuna, in quodam flumine moritur. Henricus filius eius Italiam ingreditur.

Rex Francie et rex Anglie cruce signati Iherosolimam petunt. Qui uenientes Messanam, orta inter eos discordia, partem ciuitatis igne cremarunt. Quos dictus rex Tancredus magnis honorans exeniis, nec ciuitatem Messane destruerent, cumulatis precibus impetrauit. Qui tandem Iherosolimam proficiscentes, et pro Christi fide certantes, ciuitatem Acconitanam, quam infideles tenebant, Christi faciente uirtute, in mano potenti recuperarunt.

Millesimo CXCI. Clemens papa Rome obiit mense Martii, et Iacintus diaconus Cardinalis in Celestinum papa consecratur.[Page 11]

Rex dictus Tancredus de Sicilia in Apuliam ueniens, solempni curia apud Thermulas habita in Aprutium uadit, comitem Raynaldum obsidet, eumque ad suam redire fidelitatem coegit; et exinde Brundusium se conferens, de altero filiorum suorum Roggerio silicet cum Ysachio Constantinopolitano imperatore de Urania filia sua contraxit. Et nuptiis apud Brundusium magnifice celebratis, ibique dicto filio suo coronato in regem, rex dictus cum triumpho et gloria in Siciliam remeauit, et tunc roccam Bantre et roccam Guillelmi Roffrido Casinensi abbati assignari mandauit. Quarum alteram s[ilicet] roccam Willelmi, ipse abbas dedit cuidam nobili Robberto de Apolita, cum quo de sorore sua contraxit, quam Herueo filio ipsius nobilis in conjugem tradidit, et reliquam, silicet roccam Bantre, ad opus retinuit monasterii Casinensis, ponens in ea custodem quendam militem Petrum de Aymon consobrinum suum.

Henricus rex cum Constantia consorte sua, ad quam regnum Sicilie iure successorio pertinebat, Romam uenit; quem dictus Celestinus papa apud Sanctum Petrum in Imperatorem, et consortem suam in Imperatricem coronauit; dato ab ipso Imperatore Tusculano Romanis quam funditus destruxerunt.[Page 12]

Tunc Imperator ipse regnum intrat mense Madii, papa prohibente et contradicente, et per Campaniam uenit in roccam Arcis, quam Mathaeus Burrellus pro ipso rege tenebat; a bellatoribus suis aggredi faciens, ui cepit eandem. Quod tanti causa timoris fuit, ut qui se in Casino receperant cum rebus suis homines Sancti Germani, per nuncios suos, quos ad eundem Imperatorem mittunt fidelitatem iurent. Tunc enim dictus Roffridus Casinensis abbas in monasterio Casinensi grauiter infirmabatur, quem urgentibus ipsis hominibus Sancti Germani, oportuit ipsi Imperatori iurare. Sorella quoque, Atinum, castrum Celii, metus causa, ipsi Imperatori se reddunt, in quibus ipse suos posuit castellanos. Tunc comes Fundanus et comes Molisii fidelitatem prestant eidem; et procedens in Terram Laboris, Teano, Capua, et Auersa sibi dantibus manum, Guillelmum Caserte comitem recipit, et Auersam, et exinde super Neapolim uadens, eam posita obsidione coartat, coadistentibus ei dictis comitibus et baronibus Principatus, nec non et abbate Casinensi predicto cum uiribus suis; in qua cum se contra eum recepisset dictus Acerrarum comes, pro sepe dicto rege satis strenue defendit eandem. Tunc Salerni ciuitas ipsi Imperatori se reddidit, ubi Imperatricem consortem suam moraturam transmittit, et ipse ciuitatem ipsam Neapolim crebro aggreditur, et impugnat. Cumque nec uiris nec uiribus pugnando proficeret, superueniente egritudine disgressus est[Page 13]

abinde uel inuitus, qui relicta Imperatrice consorte sua Salerni, et Muscanceruello in castello Capue constituto, ad Sanctum Germanum ueniens cum debilitato exercitu suo, dictum Casinensem abbatem, toto tunc conuentu sibi fidelitatem prestante, secum in Alemanniam ducit. Gregorio fratre eius ad maiorem securitatem obside relicto apud ducem Spoleti

et quibusdam de melioribus terre Sancti Germani captis obsidibus, quos Dyopuldo cuidam Teutonico in rocca Arcis relicto, et Corrado de Marley in Sorella constituto custodiendos commisit; et tunc per terram Petri Celani comitis sub illius fido ducatu de regno exiens, in Alemanniam remeavit mense Septembris.

Tunc is, quem prefatus sum, Acerrarum comes de Neapoly exiens cum Neapolitanis et aliis undique collectis militibus uenit Capuam, castellum obsidet, in quo Muscanceruellus se pro Imperatore receperat. Qui cum non haberet uictui necessaria, cum comite ipso componens, tradito sibi et resignato castello ipso, abiit securus quo uoluit. Tunc et iam Auersam recipit, Teanum, et Sanctum Germanum ad regis dicti fidelitatem, et Casinum conscendens, uallum monasterii nullo obstante intrauit. Qui cum blande satis alloqueretur Adenulfum Casertanum decanum Casinensem, ut illum ad dicti regis fidelitatem conuerteret, et hoc ab eo precibus optinere et promissis non posset, de loco descendit, et abiit. Tunc comitem Molisii recipit, et ponens in Sancto Germano et in Sancto Angelo Theodice masnedam, quantum potest pro dicti regis sororii sui seruitio elaborat. Tunc Rycardus, Fundanus comes, pro eo quod ab imperatore ipso Suessam emerat et Teanum, metus causa, comitatu relicto in Campaniam secessit, et comitatus Fundanus cuidam fratri Alygerni Cotronis de Neapoly ab ipso rege conceditur. Adenulfus Casertanus decanus Casinensis pro eo quod in partem non cessit ipsius regis, a Celestino papa excommunicatus est, et monasterium suppositum interdicto. Salernitani, ad captandam Tancredi regis gratiam detentam Imperatricem ipsi regi in Siciliam mittunt, quam rex ipse debito cum honore recipiens, magnis ornatam muneribus in Alemanniam ad Imperatorem remittit. Eo anno quidam stultus Paganus dominus Casaluerii[Page 14]

Teutonicum quemdam ab Imperatore in Atino relictum dolo interficit, et a iam dicto rege apud Atinum quidam Roggerius de Foresta dirigitur.

MCXCII . Dictus Adenulfus Casinensis decanus facta compositione cum Dyopuldo Rocce Arcis Castellano, qui se pro Imperatore gerebat, congregato militari et pedestri exercitu in Campaniam, quos prece uel pretioque conduxerat, de Casino descendens ui cepit castrum Sancti Petri monasterii mense ianuuario, et bonis propriis spoliauit. De ciuitate autem Sancti Germani usque ad ecclesiam omnium Sanctorum occupauit, non tamen absque strage plurima Campanorum; et pace tandem hinc inde clamata, tota terra ipsi decano se reddidit; et tunc de Sancto Germano nonnulli, qui dicti regis partem fouebant, in partem alteram secesserunt, quorum bona omnia a Teutonicis sunt direpta. Tunc idem decanus cum prefato Dyopuldo terram equitans hostiliter monasterii, relictum castrum Plumbareole occupauit, ui cepit castrum Pignatari, castrum S. Angeli, Pontem Curuum, Castellum nouum, Fracte, et quedam alia castra pro iam dicto rege se [tenentia]. Illis diebus Riccardus Caleni comes, qui erat pro parte regis Tancredi, uenit supra Sanctum Germanum cum Roggerio de Foresta castellano Atini ad deuastandum. Captus est eo anno Gottefridus Casertanus ab illis de Sancto Angelo et in captionem ductus, postmodum a Malgerio Sorello iam dicto castellano Atini in custodiam traditus. Dictus Dyopuldus aput Aquinum cum quodam regis Logotheta congregitur, quem campestri bello fugatum deuicit, multis ex suis captis, multisque in lacu summersis, et ex tunc uires crescunt ipsi Dyopuldo. Qui cum Conrado castellano Sorelle societate contracta, equitant in terram Suesse, oues et boues nec non et miseros homines capiunt, et eos ad se redimendum post multa tormenta compellunt. Tunc temporis uocatus ipse Dyopuldus a Guillelmo Caserte comite, qui pro Imperatore erat, cum gente sua uado fluuium Capue transiens iuit in Terram Laboris, et equitans super Capuam, exeuntem contra se Riccardum Caleni comitem cepit, et ad roccam Arcis duxit captiuum.[Page 15]

Millesimo CXCI. Roffridus dictus Casinensis abbas de Alemannia rediens, relicto ibidem obside Gregorio germano suo, cum nonnullis quos secum duxerat electis militibus Cominum intrat, Atinum foras deuastat, incolatum occupans Sancte Marie de Atino, et dirui faciens muros Cancelli, et portam eius ui cepit Galinarum, et bonis propriis spoliauit. Rediens uero ad terram monasterii, castrum Sancti Angeli Theodicii, sibi contrarium, quia partes regis Tancredi fouebat, cum Conrado Castellano Sorelle, et cum gente sua, licet non profecerit, uehementer impugnat, faciens quam potuit in exterioribus uastitatem. Eo anno rex Anglie ab Iherosolymis rediens, a duce Austrie retentus et captus est et Imperatori traditus; qui tandem non sine multe pecunie interuentu dimissus est. Bertoldus comes ex parte Imperatoris in regnum legatus mittitur; qui ueniens cum electis militibus et bellatoribus de Florentia, hiis ei fauentibus qui partem Imperatoris fouebant et conuenientibus ad eundem, Uenafrum in festo Beati Martini ui cepit et suis dedit in direptionem et predam. Tunc comes Rogerius de Molisio metus causa, quia se in partem regis dederat in roccam Magenuffi se recipit.

Bertoldus uero coadsistentibus ei Muscanceruello, Dyopuldo et Conrado predictis, nec non et abbate Casinensi, Fundano et Casertano comitibus, cum uiribus suis castrum Sexti, ubi Landus de Montelongo Comestabulus erat cum quibusdam Campanis militibus pro parte regis Tancredi, ui cepit, ipsoque castro bonis propriis spoliato, ipsum Landum cum sociis suis captiuum duxit; quorum libertati post multa supplicia, pietatis causa non profuit, nisi redimi profuisset. Roccam etiam Rauenule aggredi a bellatoribus faciens, per insultum cepit. Uayranum acriter impugnans, ubi quidam erat Rogerius de Theate pro rege statutus, in nullo profecit. Demum succrescentibus ei uiribus et ad eum undique concurrentibus qui regis [partem oderant], regnum Imperiali nititur subicere seruituti. Rex uero Tancredus de Sicilia in Apuliam ueniens, exercitum congregat copiosum, uolens Bertoldi uires oppositis uiribus impedire. Cui dictus Bertoldus cum suis et aliis de regno imperialem partem fouentibus, utpote uir magnanimus, uiriliter se opponit; et rege

ipso se cum suo exercitu apud Montem Fuscum conferente, ipse contra eum uadens, apud Batticanum posuit castra sua, cupiens cum ipso rege habere congressum: id ipsum pars regis, ad quem uires undique confluebant, optabat. Sed conspiciens rex ipse et in consilio habens, quod honor sibi non erat cum Bertoldo congredi, et Bertoldus cernens debiliorem partem suam, prelium sapienter declinauit uterque, et discedente inde Bertoldo, qui Laquedomum hospitatus est, rex ipse mouit a monte Fusculo castra sua. Tunc Bertoldus[Page 16]

per Capitanatam rediens in comitatu Molisii castrum montis Rodonis, quod se pro rege tenebat, circumposita obsidione coartat: ibique die quodam dum illud aggredi faceret a pugnantibus suis, lapide manganelli contritus occubuit, eique Muscanceruellus in ducem successit exercitus; qui tandem castrum ipsum obsidione firmata, per sitim capiens, non per uim, quos cepit incolas uariis cruciatibus sine spe uenie interemit.

Rex uero Tancredus tunc castrum Sabiniani ui cepit, et quemdam [ibi Sa]rolum capiens ipsius castri dominum, qui de rege ipso multum fuerat [oblo]cutus suspendi iussit. Uic cepit etiam roccam Sancte Agathe, quam quidam Robertus de Calagio dicti comitis Andrie filius contra eum tenebat. Apud Lariciam cepit quemdam Robertum filium Ryzardi, et tanquam sibi rebellem puniuit. Exinde ueniens in Terram Laboris comitem Caserte recipit et Auersam. Sancta Agathensis quoque ciuitas, ac Telesia, que tota postmodum combusta est, uenerunt ad mandatum ipsius. Tunc accersito ad se Roberto de Apolita, abstulit ei roccam Guillelmi, et quendam in ea Andream de Teano posuit castellanum, sicque relictis in pace Apulie finibus et Terra Laboris, rex ipse in Siciliam remeauit, ubi ordine nature prepostero Rogerius filius eius, qui coronatus in regem fuerat, uiam est uniuerse carnis ingressus, et frater eius Guillelmus in regem successit eidem. Ipse quoque rex doloris punctus aculeo, breui post tractum temporis infirmitate correptus obiit.

Millesimo CXCIII. Dictus uero Henricus imperator parato nauali et terrestri exercitu regnum intrat. Illum Roffridus Casinensis abbas [magnifice] recipit, nec non et Fundanus comes et alii omnes Teutonici et Latini suum prestolantes aduentum; cum quibus Terram Laboris ingreditur, Neapolym recipit, Salernum sibi renitentem ui cepit, et suis dedit in direptionem et predam. Tunc dictus Adenulfus Casinensis decanus procuracionem abbacie Uenusii ab imperatore recepit.

Imperator uero Apulie fines nullo obstante ingreditur, omnes Apulie recipit ciuitates ad[Page 17]

mandatum et fidelitatem suam conuertens, dicto Casinensi abbate preeunte, cuius fidei puritas satis erat ipsi imperatori experta, cui certam procuram auctoritatem et potestatem contulerat, ut uenire ad suam fidelitatem uolentes [ipsius opera possent redimere offensam], et per eum ueniam mererentur. Tunc ipsi abbati castrum Malueti ad opus contulit monasterii Casinensis; et Forum preteritis nauigio Messanam recipit totamque Siciliam et Panormum properans, recipit ciuitatem ipsam et cunctum palatii diripuit apparatus. Tunc uxor regis, soror dicti comitis Acerrarum cum filio suo paruulo Guillelmo prephato propter metum imperatoris ad locum tutiorem se contulit Panormum deserens, cum qua facta compositione, cum per uim locum in quo erat optinere non posset, imperator ipse securitate prestita, recipit eam et filium ad manus suas; quos Muscanceruelli custodie tradidit, et ex eis fecit sue beneplacitum uoluntatis. Tunc dictus Casinensis abbas concessionem ab ipso imperatore de Atino recipit et de rocca Guillelmi, et filium Roggerii de Foresta in Atino castellani ab ipso imperatore recipiens, et mandatum per litteras ad Andream de Teano castellanum rocce Guillelmi, ut sibi roccam ipsam assignare deberet, dictus abbas in sua reuersus est. Imperator ipse in die natalis Domini regens Panormi curiam generalem prephatam reginam et filium eius, nec non et alios quam plures presules et comites regni, quibus ipse prodicionis notam imponebat, iudicio Petri Celani comitis capi fecit, et ex ipsis quosdam orbauit, quosdam incendio, quosdam suspendio, et quosdam in Alamanniam exilio destinauit. Tunc [imperatrix in Hesii ciuitate] Marchie filium peperit nomine Fredericum, mense decembris in festo sancti Stephani.

MCXCV . Roffridus Casinensis abbas tractatu quorundam de Atino nocturno tempore introductus Atinum recipit, dictum Roggerium de Foresta castellanum intus arctat et obsidet; qui cum non haberet uictui necessaria, recepta [de persona et] rebus suis securitate ab abbate predicto et compositione facta cum eo de castro Sancti Petri in fine quod recepit ab ipso, et fidelitatem iurauit eidem, castrum Atini in manus resignauit eiusdem; roccam Guillelmi ab Andrea de Teano recipiens, fidelitate quoque ab eo recepta ei castrum Cucurutii concessit. Illum tamen postea de imperiali mandato cuidam Tancredo de Uenafro commisit, fidelitatis ab eo iuramento recepto.

Hoc anno dictus Casinensis abbas castrum Tirelli ui capiens igne cremauit.

Millesimo CXCVI. Imperator in Alamanniam redit, qui Muscanceruello Molisii comitatum concedit. Et tunc Roggerium Molisii comitem, qui se ob metum imperatoris in rocca Magenulfi receperat, idem Muscanceruellus arctat et obsidet, cum quo facta compositione et data sibi securitate et suis, roccam ipsam recipit, eumque extra regnum abire permisit,[Page 18]

ubi processu temporis mortuus est. Dictus Casinensis abbas castrum Fractarum recuperat et Castellum nouum castrum uero Sancti Angeli Theodici, quorum habitatores mala innumera per se fecerant in terram sancti Benedicti, et per seruientes, quos ad solidos retinuerant, castrum combusserant Pignatarii, per prodicionem optinuit et recepit ad fidelitatem suam et monasterii Casinensis: quibus tamen dignas pro meritis penas rependit, et sub pretextu quorundam uersuum, quos ibidem inuenit, quos hic annectere otiosum non censui,

muros ipsius castris sterni ad solum fecit, et aggeres illius repleri. Uersus enim tales sunt:

Pessimus Alboynus, Landulfus seruus Aquinus
Petrus Roggerus, Philippus ualde seuerus,
Symon et Andreas, Adenulfus ut alter Egeas,
Sunt hii rectores per quos seruantur honores.
Hii dictant bella, cedes, immensa flagella,
Dantes edictum; ueneremurne Benedictum?

Eo tempore dictus Ryccardus Acerrarum comes regnum exire occulte uolens et a facie fugere imperatoris, relictis Campania et Burgentia munitionibus quas tenebat, proditus a quodam albo monacho cui se crediderat, captus a iam dicto Dyopuldo est et custodie traditus carcerali, Cesari assignandus. Qui de Alamannia Guarmaciensem episcopum misit legatum in regnum, qui Neapolym ueniens cum iam dicto Casinensi abbate Latinis etiam aliis et Teutonicis, imperiale implens mandatum Neapolis muros et Capue funditus fecit euertere.

MCXCVII. Imperator ipse de Alamannia rediens, assignatum sibi a Dyopuldo rocce Arcis castellano dictum Acerrarum comitem, cum apud Capuam curiam regeret generalem, trahi primum ab equo per plateas Capue, et demum uerso deorsum capite suspendi uiuum iubet. Quem uiuentem post biduum quidam imperatoris ystrio Teutonicus cognomine Follis, ut ipsi imperatori placeret, ligato ad guttur eius non paruo lapidis pondere, ipsum turpiter exalare coegit. Tunc imperator ipse generalem toti regno collectam imponit. Tunc ipse Dyopulds per imperatorem comes factus est Acerrarum. Tunc etiam Oddo frater ipsius ad expugnandum roccam Siccam, in qua se Raynaldus et Landulfus de Aquino fratres contra imperatorem receperant, ab ipso imperatore dirigitur; et ipse se confert in Siciliam imperator, ubi ad se duci imperatricem iubet. Qua in Panormi palatio constituta, quidam Guillelmus monachus, qui castellanus erat castris Iohannis, rebellauit imperatori, ad quam obsidendam cum ipse personaliter accederet imperator, superueniente egritudine abinde infirmus discedens, sicut Domino placuit, diem clausit extremum. Et tunc fama discurrere per regnum, dictus Oddo frater Dyopuldi comitis rupta obsidione rocce Sicce discedit, et se contulit ad roccam Arcis.[Page 19]

Imperatrix Panormi remanens in ueste lugubri de nece imperatoris uiri sui, regnique paci consulens et quieti, Marcualdum imperii senescalcum cum Teutonicis omnibus de regno exclusit, ipsumque ne amodo regnum ingredi absque suo iussu presumeret, neue remaneret in regno, iuramento coegit. Qui cum ipsius imperatricis litteris et ducatu ad comitatum Molisii ueniens, qui tunc Marchia uocabatur, et sibi fauebat, cum illum sibi Muscanceruello mortuo concesserit imperator, sub securo cardinalium conductu et securitate supra dicti Petri Celani comitis, cui propterea Uayranum tradidit, relictis in ipso Molisii comitatu castellanis suis et baiulis, ad Ancone marchiam suo pro parte dominio subditam se contulit, ubi cum suis sequacibus innumera mala commisit. Celestinus papa obiit, et Lotharius cardinalis in papam Innocentium substitutus est illi. Imperatrix filium suum in Marchia apud Hesym ciuitatem relictum, sub ducatu dicti Celani comitis et Berardi Laureti comitis et Cupersani ad se duci iubet in regnum, et de Apulia in Siciliam transmeare. Tunc quidam in Calabria Teutonicus nomine Fredericus cum nollet imperatrici fauere, se in Malueti castro recipiens, quod furto substulerat cuidam Mauro de Mira ibidem castellano statuto pro monasterio Casinensi, iussu imperatricis ipsius a comite Amphuso de Rotis ceterisque Calabrie nobilibus, in ipso castro obsessus est et arctatus. Qui dum aliter euadere se non posse conspiceret, dolo cogitauit capere obsidentes obsessus et uocatos eos die quadam semotim ab aliis, cum eis fidem dedisset quod redire uellet ad imperatricis mandatum, captos capitaneos cepit, eosque de personis puniuit ut uoluit.

MCXCVIII. [Imperatrix ipsa processu temporis obiit, que predictum filium] unicum Fredericum et regni ballium Innocentio pape ex testamento reliquit. Dictus uero Marcualdus cognito de morte imperatricis, congregato malignorum exercitu quos prece pretiose conduxerat, regnum non sine illorum qui erant de regno auxilio et ducatu intrauit. Et ueniens in comitatum Molisii, in quo fidei sue reliquie seruabantur, ad dictum Casinensem abbatem pro pace legatos misit, per quos etiam ipsum ut sibi regni iuraret ballium, quod sibi imperator reliquerat, ut dicebat, requisiiuit. Quia uero a predicto abbate hoc optinere non potuit, nam primo regni ipsius ballium dicto Innocentio pape iurauerat, qui contra ipsum Marcualdum[Page 20]

ad iam dictum abbatem duos miserat cardinales cum exfortio militum Campanorum et auxilium terre sue, eumdemque Marcualdum excommunicationis uinculo innodauerat, et sequaces illius, ipse sui furoris impatiens, cepit more Teutonico in terram monasterii deseuire. Millesimo centesimo nonagesimo nono, mense Ianuario. Hic per Uenafrum ueniens maledictus cum maledictis terram sancti ingressus est Benedicti; et primo castrum Sancti Petri in fine, desertum ab incolis causa metus nullo obstante occupans, igne cremauit; castrum Sancti Uictoris ui capiens bonis propriis spoliauit et mouens exinde castra sua Ceruarium et Toroculum, duo scilicet castra ab habitatoribus derelicta, combussit, et septimo intrante Ianuarii ante Sanctum Germanum in campis castra metatus est. Et cum ad capiendam terram ipsam daret frequentes insultus, capere ui tamen non potuit, hominibus ciuitatis et militibus Campanie qui in ea conuenerant ea die resistentibus illi. Tunc Dyopulds iam dictus, qui ad ipsum uenerat Marcualdum, montem quemdam qui Maio dicitur cum suis occupans, sua in eo tentoria fixit. Quod tanti causa timoris fuit

omnibus de terra ipsa, cum supereminens esset mons ciuitati et posset de supernis montibus ab hostibus facile occupari, quod idem abbas nocte conscendens, occasione muniendi uallum monasterii, nonnulli de ciuitate cum suppellectili sua se ad uallum contulerint memoratum, cardinalibus ipsis mane sequenti se recipientibus in ipso monasterio causa metus; sicque die ipso, VIII scilicet Ianuarii, relictam ab incolis ciuitatem Marcualdus intrauit, bonis propriis spoliauit, et quos in ea inuenit penis addixit uariisque tormentis, quibus pietatis causa non profuit nisi redimi profuisset, nec contentus eo quod terram occupauerat monasterii, ad obsidendum illud et capiendum, cum in eo cum multis Campanie militibus et gente ciuitatis non modica se concluderint cardinales, ascendere uoluit. Qui cum per dies aliquot, posita in uiridario obsidione, ipsum monasterium teneret obsessum, et uallum ipsum per frequentes insultus hostiliter impugnaret, capere per uim illud non potuit, Campanis et aliis qui erant in uallo constituti militibus resistentibus illi. Cumque firmata obsidione ad capiendum monasterium uehementer instaret, quod cum per uim non posset, credebat fame sitiue facile occupare, in die festo beati Mauri mutata subito serenitate aeris, temporis inclementia facta est et tanta inundatio pluuiarum admixta grandinibus et imbribus multis, quod hostium tentoria strauit ad solum; propter quod qui erant obsessi, et iam arescere ceperant aquis deficientibus in cisternis, Deo et sancto Mauro debitas gratias retulerunt, et ab obsidione ipsa[Page 21]

coacti sunt recedere obsidentes. Tunc in descensu montis castrum Plumbareole idem Marcualdus igne combussit; et rediens in Sancto Germano, ira commotus, intus et extra ciuitatem domorum et tuguriorum uastitatem fieri mandans, castrum sancti Helie affidatum combussit, portas Sancti Germani et menia eiusdem in plerisque locis euerti fecit ad solum. Illis diebus cum uiri nequam, qui erant cum ipso Marcualdo, facerent in ceteris ecclesiis sicut in aliis terre domibus stationem, et sua in eis ludicra exercerent, ipsi Deo et sanctis eius non uerebantur iniurias irrogare. Nam cum de ceteris altaribus certas extraxissent reliquias, unus ex predictis uiolare aram beate Uirginis attemptauit; qui statim aridam ad se manum retraxit. Alter cum crucifixo, qui est in ecclesia Sancti Germani, primo per lapidis ictum, demum per urine iniectionem in ipsum iniurias graues inferret, rosa prius dentibus lingua, arefactus infelix, uitam statim cum morte finiuit. Quod tantum ipsi Marcualdo terrorem incussit, quod facta compositione cum abbate predicto, terram exiens monasterii IX stante februarii, habuit malo omine in anteriora progressum.

Eo tempore Ryccardus de Aquila Fundanus comes, ut saluam faceret terram suam, Sifrido fratri comitis Dyopuldi filiam suam dedit in coniugem. Tunc ipse Marcualdus castrum Pontiscurui, Teramum, Sanctum Angelum, et Castellum nouum ipsi comiti Dyopuldo et suis seruanda commisit.

Dyopuldus uero, qui ipsum Marcualdum antecedeat, et predicabat ut omnes de regno se ad Marcualdum conuerterent et regni ballium iurarent eidem, a Guilermo Caserte comite captus est, et quandiu uixit eum tenuit uinculatum; set eo mortuo, Guilelmus filius eius accepta filia eius in uxorem, liberum dimisit illum. Marcualdus uero ad Apulie partes se conferens, Auellinum obsedit, et cum incolis ciuitatis se componens, discessit ab obsidione; et procedens inde Uallatam, quoddam Casale Apulie, ui cepit et suis dedit in direptionem et predam. Tunc Petrus Celani comes de Marsia uenit in Terram Laboris. Marcualdus uero de Apulia per Capitanatam rediens in comitatu Molisii Sernie ciuitatem, cum exercitum tenere non posset, bonis propriis spoliauit, et procedens uersus Terram Laboris, et Teanum impugnans, capere ui non potuit illam. Exinde Salernum se contulit, que tunc comiti Dyopuldo fauebat; et inde parato nauigio, in Siciliam transfretat, et Panormum properans, facta compositione cum comite Gentili de Palaris quem Gualterius regni Sicilie[Page 22]

cancellarius custodem regis et palatii reliquerat, palatium Panormi recepit ad manus suas, et sic totam postea Siciliam suis nisus est uiribus subiugare. Roffridus Casinensis abbas castrum Sancti Angeli recuperat.

Contra ipsum Marcualdum et regis tunc pupilli auxilium, dictus Innocentius papa quendam dirigit Iacobum Andrie postea comitem, consobrinum suum, cum militari exercitu, cum quo unum misit de cardinalibus, quem ipsi consobрино suo [et exercitui militum prefecit; qui ipsum] Marcualdum campestri bello [deuicit] et fugauit, et toto tunc regno optento dictus Cardinalis in Sicilia transiuit].

MCC. Dyopuldus comes [cum aliquibus cum quibus ipse] remanserat Marcualdus, cum quibus per regnum ubique [discurrens mala innumera committebat], prestito apud Uenafrum corporaliter sacramento de non offendendo amplius terra sancti Benedicti, propter quod homines Sancti Germani sibi non cauebant ab eo, ipse Dyopuldus cum perditorum gente nocturno tempore hostiliter terram Sancti Germani intrauit IX Martii, eamque dans in direptionem et predam, miseros quos inuenit in ea homines multis adiecit periculis et tormentis, postque se redimere sunt coacti. Abbas uero qui erat in ciuitate ipsa, fuga media cum Gregorio fratre suo in Atinum se recipit, et exinde se in Marsiam contulit, gentis auxilium a Celani comite petiturus. Qui cum illud dare denegaret eidem, ad Raynaldum Senebaldum fiducialiter iuit, qui totum argentum suum sibi liberaliter tradidit, cum quo aliquot retinuit seruientes et balistarios; cum quibus rediens per montana, intrauit nocturno tempore monasterium. Quo cognito Dyopuldus cum ipsum abbatem cum magnis crederet uiribus rediisse, metus causa depopulatam linquens terram Sancti Germani exiuit, et secum captiuos quosdam de terra ipsa ad roccam Arcis deduxit.

Eo anno dictus abbas roccam Iani super Sanctum Germanum firmauit, et prouidens indemnitati terre eiusdem, eam per circuitum muris firmauit et turribus et aggeribus communiuit.

Dyopuldus uero iam dictus mense Iunii apud Uenafrum cum comite Celani congreditur,

eumque campestri bello fugauit, cepitque tunc Berardum filium suum, quem apud roccam Arcis captiuum duxit.

MCCI. Gualterius Brennensis comes in odium Teutonicorum in regnum mittitur ab Innocentio papa; qui apud Capuam congregiendi cum ipso Dyopuldo, uicit et fugauit eundem X mensis Iunii. Et exinde Teanum ueniens que sibi fauebat una cum Raynaldo tunc[Page 23]

Capuano archiepiscopo, filio Celani dicti comitis, Presentianum se contulit cum eodem. Ubi occurrens ei prefatus Casinensis abbas pariter processerunt et petierunt Uenafrum, quam ciuitatem idem Dyopuldo tenebat. Ille predictus Celani comes timens cum ipso Brennensi comite confederatus est, et tandem ciuitas ipsa, procurantibus ipso Casinensi abbate et Malgerio Sorello, in uigilia beati Iohannis Baptiste igne cremata est, arce superiori se pro Dyopuldo tenente. Exinde Aquinum se conferunt, ubi quidam erat in castello castellanus nomine Iencus, qui se Dyopuldo tenebat; qui captus in ipso castello est, et Aquini ciuitas reddita ad mandatum dicti comitis Gualterii, qui eam dominis Aquini per quendam Finagranum, domini Raynaldi de Aquino filium naturalem, restituendam prouidit. Eo anno dictus abbas Casinensis Castellum nouum et Fractas recuperat.

MCCII. Dictus comes Gualterius cum iam dicto Casinensi abbate in Apuliam uadit, qui abbas una cum Petro Galloze Portuensi episcopo legationis officio fungebatur. Cumque ad dictum comitem expugnandum memoratus Gualterius de Palearia cancellarius, cum comite Manerio fratre suo Dyopuldo et Oddone de Lauiano comitibus, congregatis undique uiribus sub pretexto, quo ipsum comitem regis hostem dicebat et regni, cum ipso campestre bellum inierit apud Cannas, dictus cancellarius cum Dyopuldo prefato per ipsum comitem sexto stante Octobris deuicti sunt et fugati, multis ex eis captis et nonnullis gladio interemptis. Sunt etiam in prima qui steterant acie capti, Syfridus frater Dyopuldi, dictus Oddo de Lauiano et Petrus de Celano, qui comes dicebatur Ciuitatensis. Qui autem fuga media euaserunt, cancellarius et comes Manerius frater eius, receperunt se in Salpitana ciuitate, que fauebat eisdem. Dyopuldo uero in rocca Sancte Agathe se receperat. Dictus Casinensis abbas in Apulia uadit, habita de Dyopuldo uictoria, legatus in Siciliam uadit ubi dictus Marcualdus, superueniente dissinteria, miserabiliter expirauit. Fames tunc ualida per totum regnum exorta est. Dyopuldo sepefatus [iratus cum] Finagrana ,[qui ei adheserat], discorx a comite Gualterio recessit, cum gente sua properat super sanctum Germanum: . ubi idem Finagrana et quidam ipsius Dyopuldi castellanus capti sunt et gladio perempti.

MCCIII. Dyopuldo ipso a castellano Sancte Agathe ui est captus, sed postea liberatus.[Page 24]

Eo anno Franci [fedus] cum Uenetis componentes et [aduersus laderam nauigantes, ciuitatem] ladere ipsis rebellem Ueneti ui ceperunt, et bonis propriis spoliarent; nobilissimam Constantinopolitanam urbem aggredientes uiriliter et potenter, sicut Domino placuit, optinuerunt, et potestati Romane ecclesie, cui antea non intenderat, subiecerunt illam.

Millesimo CCIV. Comes Gualterius cum comite Iacobo Tricaricensi et comite Roggerio de Theate confederatus. Ipse tunc temporis Terracinam occupat de Salerno, ubi ab ipso Dyopuldo et gente sua et ciuibus Salerni, qui tenebat eidem arce satis obsessus est, et sagitte ictu altero oculorum priuatus, et tandem ipsorum comitum auxilio liberatus est, ipso Dyopuldo et suis de Salerno satis ignominiose fugatis.

MCCV. Dictus comes Gualterius cum ipsum Dyopuldum dure satis et dire persequeretur, ipsum tenens in Sarno obsessum, dum sibi male ab hoste caueret, ipso Dyopuldo in eum cum suis diluculo irruente, captus ab eo est et custodie traditus carcerali, ubi modicum post diem clausit extremum. Tunc enim memoratus Celani comes, qui ciuitatem intrauerat Aliphie, et castrum ciuitatis uiriliter impugnabat, quod se ad opus Dyopuldi tenebat, audito de captione comitis Gualterii, combusta ciuitate Aliphie discessit. Dictus uero Dyopuldo Salernum cum uictoria rediens, quia turrim maiorem ipse tenebat, multos de Salerno cepit, et ut proditores puniuit ut uoluit.

Millesimo CCVI. Innocentius papa Romam uocat Dyopuldum ad se, ipsumque et suos a uinculo excommunicationis absoluit, et tunc cum ipsius licentia Salernum reuersus est.

MCCVII. Hic parato Salerni nauigio, in Siciliam transfretat, Panormum uadit, et tam palatium quam regem recipit Fredericum ad manus suas set arctatus et obsessus in ipso palatio a Gualterio de Palearia cancellario, captus ab eo est et tandem nocturno tempore fuge presidio liberatus, ueniensque per mare Salernum, exinde in Terram Laboris se confert.[Page 25]

Ubi cum Neapolitanis iniens pugnam deuicit et fugauit eosdem, strage magna facta ex eis et Gifrido de Montefusculo, quem sibi capitaneum prefecerant, capto et uinculis mancipato.[Page 26]

Millesimo CCVIII. Mense Ianuarii in uigilia Epyphanie Roffridus Casinensis abbas superius memoratus, congregatis militibus et seruientibus terre sue et baronum circumpositorum, qui sibi ex gratia libenter obsequabantur, una cum dominis

Aquini et Malgerio Sorello ciuitatem Sore
procurantibus hoc quibusdam ipsius abbatis
consanguineis qui de Sora erant, nocturno
tempore intrat, eamque ad opus recipit et
fidelitatem Innocentii pape. Qui in succursum
abbatis ipsius mittit Stephanum de
Fossanoua camerarium suum cum exfortio
militum Campanorum; qui Conradum tunc
Sore comitem se in Sorella recipientem
arctat et obsidet, et male sibi cauentem
intus Sorellam cepit, qui pro sua redemptione
roccam Arcis in manus dicti camerarii
resignauit. Tunc etiam Broccum et
Pesclum Solidum amisit. Eo anno Innocentius
papa in uigilia sancti Iohannis
Baptiste mense Iunii uenit ab Urbe ad
Sanctum Germanum, ubi ab ipso abbate
Roffrido magnifice receptus est, et tam
ipse quam fratres sui domini cardinales in
necessariis omnibus honorifice procurati.
Tunc uenientes ad ipsum Petrus de Celano
et Riccardus Fundanus comites cum eis
de succursu regis statuit Frederici et de[Page 27]

defensione regni in hunc modum uidelicet:
"Ut ipsi comites sint magistri Capitanei,
quibus super hiis omnes intendant
a Salerno usque Ceperanum, sicut a mari
usque ad mare protenditur tractus terre
saluo statuto regio, quo Celanensis comes
est magister iustitiarius Apulie et Terre
Laboris, et saluo mandato regio, quod
factum est comiti Fundano de ciuitate
Neapolitana ut sit specialis rector ipsius,
intelligentes hoc quantum ad propria negotia
ciuitatis; set quantum ad succursum
regis et ad defensionem et ad pacem regni
omnes communiter intendent hiis duobus.
Quicumque ordinationem istam receperint,
ad inuicem sibi pacem obseruent,
et si quisquam ab aliquo fuerit offensus,
non statim reoffendat eundem, set apud
predictos comites querelam deponat, qui
eam secundum rationem et regni consuetudinem
faciant emendari. Qui autem
ordinationem istam recipere noluerint,
uel recusauerint, tamquam hostes publici
habeantur, et a ceteris impugnentur.
Ducenti milites dirigantur in succursum
regis usque ad Kalendas Septembris moraturos
per annum sub illorum expensis,
a quibus fuerint destinati. Distribuantur
autem secundum estimatorum arbitrium,
quos ad hoc specialiter deputabimus, pensatis
debitis seruitiis et facultatibus comitum
et baronum ac etiam ciuitatum.
Quia uero propter estatis feruorem descendere
in Apuliam personaliter non potuimus,
statutum istud mandabimus exequendum
per legatum nostrum qui est in
Apulia, per comitem Iacobum consobrinum
et marescalcum nostrum, et per alium
quem a nostro latere dirigemus. In omnibus[Page 28]

autem reseruamus nobis plenam
potestatem addendi, minuendi, mutandi,
et declarandi, prout uiderimus expedire".
Tunc eidem pape Philippus rex Alemannie,
patruus dicti regis, a suis nuntiatur
occisus.
Tunc etiam rogatu Petri cognomine
Contis decani Casinensis, ipse papa apud
Sanctum Petrum monasterii in capella Sancti
Nicolai, aram quandam in honorem beate
Marie Magdalene consecrauit.

Dictus papa relictā sub deposito parte thesauri sui non modica in monasterio, dictis comitibus in sua cum ipsius licentia redeuntibus, ipse de Sancto Germano discessit, et per Atinum iter faciens, quod dictus abbas Roffridus tenebat, Soram se contulit, indeque in Campaniam reuersus est. Eo anno comes Fundanus supra memoratus auctoritate fretus et ui comitis Dyopuldi, Capuam recipit, a Capuanis uocatus in odium dicti Celani comitis, cuius filius Raynaldus ipsius ciuitatis archiepiscopus erat.

Millesimo CCIX. Fredericus rex Sicilie uxorem duxit Constantiam sororem regis Arragonum. Dictus Celani comes castellum Capue recipit a Leone de Andria castellano, hoc filio ipsius dicto archiepiscopo procurante; et dictus Fundanus comes, qui castellum ipsum tenebat obsessum, metus causa Capuam exiit.[Page 29]

Otto dux Saxonie ab Innocentio papa uocatus, apud Sanctum Petrum, in Romanum Imperatorem coronatur, non sine strage magna suorum. Qui prestito iuramento de conseruando regalibus Sancti Petri et de non offendendo regem Sicilie Fredericum, in Marchiam secedens et in partes Tuscie, ibi per annum continuum moram fecit.

Hoc anno mense Madii, penultimo mensis eiusdem, dictus Roffridus Casinensis abbas apud Sanctum Germanum obiit, cui Petrus dictus Conte, qui antea functus fuerat officio decanatus, electus a fratribus, et a papa Innocentio approbatus, in regimine monasterii successit eidem. Huic rocca Bantre, que usque tunc monasterio suberat Casinensi, rebellauit. Cui quendam prefecerat monachum nepotem suum nomine Seniorectum, qui sibi ab hominibus rocce ipsius non precauens, cum de rocca ipsa fecisset ad uillam descensum hoc ipsis de uilla proditorie procurantibus, cum redire in roccam uellet, non est amodo eam intrare permissus.[Page 32]

[MCCX] Otto dictus Imperator, tractus a Dyopuldo et Petro Celanensi comite, qui cum ipso Dyopuldo contraxerat, quorum alter Capuam, alter uero sibi Salernum tradidit, spreto iuramento quod Romane ecclesie fecerat regnum intrat per Reatinas partes, sub illorum ducatu qui fidelitatem ei prestiterant per Marsiam, et exinde per Cominum uenit; ad quem dictus Casinensis abbas, cui cura erat de terra et populo, cum ad ingressum ipsius Oddonis essent omnes exterriti, ita quod in Sancto Germano pauci admodum remanserint, qui ad loca tutiora sua suppelectilia non tulissent, suos pro pace legatos misit, et ipse etiam exiuit in occursum eius, contra fratrum omnium uoluntatem. A quo satis benigne receptus, terram monasterii seruauit indempnem.[Page 33]

Tunc idem Otto se Capuam confert, ubi receptis a Dyopuldo certis munitionibus quas habebat in regno, ducem Spoleti efficit illum. Hic cum gente ipsius Ottonis iuit ad debellandum ciuitatem Aquini, in qua Landulfus Thomas Pandulfus et Robertus domini Aquini, qui regis fidem seruabant,

se receperant cum gente sua; et cum non preualeret in eam, uiribus resistentibus predictorum, confusus et non sine dampno recessit.

Ciuitas Neapolis in odium Auerse ipsi Ottoni se reddidit, qui ad instinctum Neapolitanorum Auersam obsidet, que, facta cum eo compositione, remansit indemnis. Dictus Otto Apulie fines ingreditur, ceteris sibi colla flectentibus, tum uoluntarie tum causa metus. Innocentius papa illum excommunicat et ecclesiam Capuanam sub interdicto ponit, pro eo quod celebrare ausi sunt ipso presente. Excommunicat etiam omnes fautores illius in octauis beati Martini.

MCCXI. Petrus Casinensis abbas mense Ianuario, V uidelicet Kalend. Februarii in monasterio obiit. Innocentius papa in die sancto louis[Page 34]

excommunicationem latam in Ottonem, ac eius sequaces confirmat. Hoc anno Adenulfus cognomine Casertanus in abbatem Casinensem eligitur. Dictus Otto cum totam fere sibi Apuliam subiugasset; audito quod quidam Alemannie principes sibi rebellauerant, mandato apostolico, Regnum festinus egreditur mense Nouembris et Mense Martii in Alemanniam remeauit. Eodem mense Martii Fredericus rex Sicilie ab Innocentio papa uocatus, nauigio uectus a Gaietanis, relictis Panormi uxore et filio, Gaietam uenit. Ad quem dictus Ryccardus de Aquila Fundanus comes, et prephati domini de Aquino uadunt. Tunc rex ipse ad petitionem hominem rocce Bantre, qui accesserunt ad eum, castellanum mittit Iohannem Russum ciuem Gagetanum militem suum; et a Gaieta descendens per mare ad Urbem uadit, ubi a papa Innocentio et ceteris cardinalibus Senatu populoque Romano ingenti cum honore receptus est. Ad quem missus ex parte conuentus Stephanus cognomento de Marsia, tunc camerarius Casinensis, mandato pape Innocentii litteras et mandatum impetrauit a rege ad castellanum rocce predicte, ut eam restitueret monasterio Casinensi. Et post dies paucos ab Urbe discendes cum licentia pape et cardinalium se nauigio recipit et Ianuam feliciter applicans; inde[Page 35]

per Cremonam et Ueronam inuitis Mediolanensibus, qui eius impedire transitum crediderunt, transalpinauit cum paucis. Hunc dicti Ottonis emuli benigne recipientes, gressus et iter eius contra eum in uiam rectam, et non in inuium, direxerunt. Qualiter igitur rex ipse in imperii acquisitione profecerit, qualiterue optinuerit contra eundem Ottonem, locis relinquo propriis aptius referendum.

MCCXII mense Iunii Innocentius papa Urbem exiens uenit Signiam, ubi per estatem moram faciens mense Septembri remeauit ad Urbem. Petrus Celani comes languore correptus obiit. Hoc anno christiani principes, uidelicet rex Castelle, rex Nauarre et rex Arragonum cum Miramammolino Sarracenorum

principe prelium ineuntes, Dei fauente uirtute, contra eum optinuerunt. Quod ad omnium orientalium gaudium et exultationem; idem rex Castelle de tanta christianis principibus celitus concessa uictoria dicto Innocentio pape litteras mittit. Mittit etiam de acceptis Sarracenorum spoliis eidem honorabilia exenia, tentorium uidelicet totum sericum et uexillum auro contextum. Quod in principis apostolorum basilica in laudem nominis Christi appensum est.[Page 36]

Mense Madii Adenulfus, Casinensis electus rocce Bantre occasione mandati regii, cui parere noluit castellanus, artat et obsidet, set cum roccam ipsam optinere non posset, data quadam nepte sua in coniugem filio ipsius castellani cum certa pecunie quantitate, recuperauit roccam ipsam monasterio Casinensi. Innocentius papa per generales quas ad orbis prelatos dirigit litteras sanctam synodum ad Urbem uocat. Mense Iunii [autem] Signiam; ubi propter urgentem necessitatem dictum Adenulphum Casertanum, Casinensem electum, in Casinensem abbatem promouit. Fredericus rex auxilio principum totam Alemannie planitiem optinuit, solis ipsi Ottoni munitionibus remanentibus. Hoc anno fames in Apulia exorta est.[Page 46]

Millesimo CCXIII. Innocentius papa Urbem exiens mense Iunii iuit Uiterbium, ubi per generales, quas ubique terrarum dirigit, litteras omnes Christi fideles ad terre sancte subsidium exhortatur, per quas etiam excommunicationis innodat uinculo cursarios et pyratas, qui capiunt et spoliant transeuntes, sicque subsidium impediunt terre eiusdem, et qui scienter communicant cum eisdem in aliquo uenditionis uel emptionis contractu. Innouat preterea excommunicationem latam aduersus eos, qui Sarracenis arma, ferrum, lignamina deferunt galearum, quique cum pyratibus Sarracenorum nauibus curam gubernationis exercent, precipiens huiusmodi sententiam per omnes urbes maritimas publicari diebus dominicis et festiuis.[Page 55]

MCCXVIII. Hoc anno dictus Otto cum rege Francie bellum commitens, ab ipso rege deuictus est et fugatus. Innocentius papa has mittit litteras ad Soldanum: *Innocentius etc. Nobili uiro Sephedino* Soldano Damasci et Babylonie timorem diuini nominis et amorem. Danihele propheta testante didicimus, quod est Deus in celo, qui reuelat misteria, mutat tempora et transfert regna, ut uniuersi cognoscant, quod Dominus excelsus in regno hominum et cui uoluerit dabit illud. Hoc autem euidenter ostendit, quando Iherusalem et fines eius tradi permisit in manus fratris tui, non tam propter eius uirtutem quam propter offensam populi christiani, Deum ipsum ad iracundiam prouocantis; qui secundum prophetas cum irascitur, non obliuiscitur misereri. Unde illum imitari uolentes qui de se *ipso ait*: Discite a me quia mitis sum et humilis corde, *magnitudinem tuam humiliter* obsecramus, quatenus ne propter uiolentam detentionem prefate terre plus adhuc effundatur humani sanguinis quam hactenus est

effusus, restituas eam nobis, usus consilio saniori,
de qua forte detentione plus tibi difficultatis
quam utilitatis accrescit, et dimissis
utrimque captiuis quiescamus a mutuis impugnationum[Page 56]

offensis, ita quod apud te non
sit deterior conditio gentis nostre, quam
apud nos est conditio gentis tue. Latores
presentium ad tuam presentiam destinatos
rogamus benigne recipias, dignum eis responsum
tribuens cum effectui. Datum Laterani
ui Kalendas Maii, Pontificatus nostri
anno XVI.

Item scire uolens ipse papa terras mores
et uires Agarenorum contra quos de
ipsius mandato christianorum exercitus parabatur,
scripsit patriarche Iherosolimitano,
magistris domorum Hospitalis et Templi,
ut super hiis eum per suas redderent litteras
certiorem. Qui per quasdam naues Uenetum
inde huc transmeantium, tam detentores
quam terras et mores eorum exposuerunt
ei certissime in hunc modum:

"Saladinus et Sephedinus duo fratres
fuerunt. Mortuo Saladino, qui habuit XI
filios, regnauit Sephedinus, qui occidit
omnes nepotes suos, preter unum qui uocatur
Melchisedech, qui tenet terram
istam cum omnibus ciuitatibus, castris et
uillis et aliis munitionibus, que sunt plus
de ducentis. Sephedinus uero habuit filios
XV, de quibus hereditauit septem.
Silicet Melkekemme, qui primus est et
maior natu omnibus. Hic tenet Alexandriam,
Babyloniam, Cayrum, et totam terram
Egipti in meridie et septentrione;
qui post mortem patris sui Sephedini de
generali constitutione patris et fratrum
debet esse dominus omnium et totius
terre. Secundus filius est nomine Coradinus
qui habet Damascum, sanctam Iherusalem
et totam terram, que fuit christianorum,
preter modicam quam adhuc
tenent christiani, que sunt inter ciuitates
munitiones et castra plus de trecentis.[Page 57]

Tertius filius est nomine Melkafays, id est
grandis, qui tenet terram istam que dicitur
de lamella cum tota alia prouincia,
que sunt inter munitiones uillas et castra
plus de quadringentis. Quartus filius est
nomine Melkemodan, id est magnus dominus,
qui tenet regnum Doasie cum omni
potentatu suo, que sunt plus de quadringentis
inter ciuitates munitiones et castra.

Quintus filius est nomine Melkisalaphat,
qui regnat et tenet terram et regnum de
Sarco, ubi fuit occisus Abel a Caym fratre
suo, in quo regno sunt octingente inter
ciuitates munitiones et castra plana. Sextus
filius est Machometus, qui tenet regnum
de Baldach, ubi est papa Sarracenorum
Caliphus, qui colitur timetur et
adoratur tamquam Romanus pontifex in
lege eorum, qui non potest uideri nisi
bis in mense, quando cum suis uadit ad
Magometh deum Sarracenorum, et inclinato
capite et oratione facta suo more
Sarracenico, antequam templum exeant,
splendide comedunt et bibunt, et sic coronatus
reuertitur in domum suam cum
gente sua. Iste deus Magometh uisitur
quotidie et adoratur, sicut uisitur
et adoratur dominus crucifixus a populo
christiano. In ista ciuitate Baldach est

papa Caliphius; ciuitas ista caput est totius legis Agarenorum. Septimus filius est nomine Salaphat. Hic non habet specialem terram, set semper est cum patre suo Sephedino. Iste portat uexillum coram patre suo, quando equitat. Cui unusquisque fratrum singulis annis pro certo censu dignitatis sue transmittit mille sarracenatos et duos dextrarios bene paratos. Sephedinus quando equitat terram et uisitat filios suos prephatos, incedit uelato capite de uno examito rubeo. Cui omnes filii inclinant quater ad terram, et exeunt ei obuam per sex milliaria, et osculato pede, cum ipse sit super equum, recipit eos ad osculum et ad manum. Qui cum unoquoque moratur per triduum, semel in anno, et sic a primo usque ad septimum[Page 58]

filios uisitat memoratos, et quilibet omni anno pro certo tributo mittit in fisco patris XX millia sarracenatos; et sic a primo usque ad septimum dat unicuique filiorum unum de anulis suis, in quo imago sua sculpitur. Uolunt isti libenter reddere in manus domini pape terram sanctam, quam tenent ad opus christianorum, et ut certi sint et securi de alia terra a populo christiano, singulis annis uolunt esse sub certo tributo patriarche Iherosolimitano, et dabunt inde cautelam Romane ecclesie de non impedienda amplius terra sancta, qua dominus noster Iesus Christus suis pedibus ambulauit.

Predictus uero Sephedinus de more predecessorum suorum faciem suam non ostendit omnibus nisi decies in anno, quando nuncios recipit Pisanorum, Ianuensium, Uenetum, ciuitatum, regum uel principum christianorum, astantibus centum armatis. Primo die recipit ipsos in prima sala de Cayro, ubi semper est status eius. Tunc recipit licteras a nunciis, set non audit eos; in secunda die audit eos in secunda sala, astantibus ducentis Turkis suis bene armatis. In tertio quidem die per turcimannum suum, uidelicet interpretem, dat eisdem responsum secundum quod est modus in causa. Qui post tertium diem non habent amplius ad illum accessum. Habet Sephedinus uxores XV in lege sua, que sunt in uno palatio, insimul dormiunt comedunt et bibunt. Si aliqua earum habet ex eo filium, Sephedinus uadit ad eam quando uult, et dormit cum ea uidentibus aliis. Illam uero que non habet ex eo filium, ad se quando uult per eunuchos suos uocari facit in uesperis, et detinet eam per noctem et diem, et sic facit de singulis. Quando aliqua istarum moritur, inducit aliam inter alias. In secretiori camera, ubi ludit et dormit, nullus habet accessum, nisi unus tantum senex. In cuius camere ostio semper existunt armati quinquaginta. Quinquagenarius est Sephedinus, potens[Page 59]

multum in armis et gente, eloquens ualde in lingua sua, qui precellit hodie omnes qui uiuunt paganos excepto Maximuto in auro. Iam enim muniuit totam terram suam et filiorum, et exercitus congregat infinitos; et in omnibus ipse cum filiis in predictum modum cum Romana

ecclesia uult componere pacem.
Octo alii filii Sephedini de patris
constitutione sic uiuunt. Duo ex ipsis custodiunt
sepulchrum Domini; ad quos quicquid
datur peruenit, et diuidunt inter se.
Quatuor alii habent redditus de Calyce
fluuii, qui irrigat totam terram Egypti: et
istis quatuor melius ualent isti redditus de
uiginti millibus saracenatis. Duo alii fratres
minores sunt cotidie in conspectu Dei
sui Magomet pro castitate quam habent,
et totum, quod datur ad pedes eius, est
de ipsis minoribus fratribus. Hec, sanctissime
pater, ita esse in ueritate sciatis”.

MCCXV. Hoc anno Rogerius de
Aquila Fundanus comes cepit castrum Motule,
et illud bonis omnibus spoliavit.
Innocentius papa Urbem exiens uenit
Ferentinum in Campaniam, ad quem Rogerius
de Aquila Fundanus comes accedens,
regi Frederico fidelitatis prestitit
iuramentum.
Idem papa mense Augusti inquisitionem
de persona abbatis Casinensis Adenulfi
prefati fieri mandat per Nicolaum capellanum[Page 60]

suum, qui in Tusculanum est assumptus,
et per magistrum Raynerium tunc
notarium, qui in cardinalem postea est promotus.
Qui de statu monasterii et de persona
dicti abbatis per monachos sub iuramento
ueritatem certius inquirentes, et que
didicerunt redigentes in scriptis, ipsi summo
pontifici retulerunt. Illis autem abeuntibus,
idem abbas prauo usus consilio monasterium
munire curauit militibus et seruientibus, suis
consanguineis et propinquis. Similiter et
roccam Ianule, Atinum, roccam Bantre et
castrum Fractarum; qui tandem a papa
uocatus apud Anagninam uadit ad ipsum.
Qui prestito sacramento, quod monasterium
decastellaret et roccas predictas, easque
in manus eorum traderet, quibus ipse mandabat,
correptus ab eo dimissus est. Et rediens
ad monasterium, illud tantum decastellauit,
reliquis sibi castellis retentis; et
propterea uocatus a papa iterum, inconsulte
uadit ad ipsum, a quo redargutus de fide
mentita cum in eum publice uellet ferre
depositionis sententiam, persuadentibus sibi
nonnullis renunciauit, et cessit inuitus.
Quem ipse papa apud Larianum mandat
custodiri, donec roccas predictas resignari
faciat ad mandatum suum. Hoc itaque cum
innotesceret in terra monasterii, Miraddo
nepos dicti abbatis consulens uite sue,
cum esset in Sancto Germano et multas
nonnullis intulisset offensas, nocte fugiens
relictis uxore et filiis in rocca Bantre, in
qua quidam erat monachus consobrinus suus
se recepit; cum quo postmodum facti ecclesie
rebelles, terram ipsius hostiliter infestabant.
Interea iussu apostolico de substitutione
abbatis tractatur in monasterio;[Page 61]

set quia non poterant conuentus in unius
electione inueniri concordēs, hoc ipsi pape
per octo de fratribus, quos ad ipsum mittunt,
denuntiant. Inter quos cum unus esset
eorum notus pontifici Stephanus cognomento
de Marsia, cuius superius feci memoriam,
illum, postquam per eos sibi constitit
de electione diuersa, de gratia prout
placuit in abbatem concessit eisdem. Hic

ad monasterium rediens a fratribus et populo cum honore receptus est.

Eo anno rex Fredericus in rependium collati sibi celitus beneficii et triumpho de Ottone dicto imperatore apud Aquisgranum sponte se crucis caractere insigniuit. Dictus papa Rome apud Lateranum in ecclesia Saluatoris que Constantiniana dicitur sanctam synodum celebrauit, in qua cum fuerint patres circiter quadringenti, de reformatione ecclesie in suo sermone proposuit, et liberatione potissimum terre sancte. Interfuerunt autem regum et principum totius orbis nuntii, legatus quoque regis Frederici Panormitanus archiepiscopus Beradus nomine, et Mediolanensis quidam pro parte Ottonis ad mandatum ecclesie redire uolentis. Quibus marchio Montisferrati, qui erat pro parte regis ipsius, aduersarium se opponens, quod pro Ottone ipso non deberent audiri, sex in medium capitula protulit. Primum quia iuramentum, quod Romane ecclesia fecerat non seruauit, ut debuit. Secundum quia propter que fuit excommunicatus adhuc detinet, nec reddidit, ut iurauit. Tertium qui episcopum quemdam excommunicatum tanquam ipsius fautorem nititur confouere. Quartum quia legatum episcopum alium capere et in maioris iniquitatis cumulum incarcerare presumpsit. Quintum quia in contemptum Romane ecclesie regem Fredericum regem appellauit presbyterorum. Sextum quia quoddam monialium monasterium

[Page 62]

destruxit, et erexit in arcem. Adiecit etiam, quod cum ipsi Mediolanenses simili essent excommunicatione notati, tanquam ipsius Ottonis complices et fautores, et quia eorum ciuitas Paterenos fouebat, nulla prorsus debebant ratione audiri. Quod cum moleste satis ferrent Mediolanenses ipsi, et uellent marchioni ipsi in contrarium respondere, quia pars utraque in contumelias prorumpebat, de solio suo dominus papa exurgens manu innuit, et egredientibus ceteris, ipse ecclesie est egressus. Sedit autem usque tertio ipse dominus papa, a festo beati Martini usque ad festum sancti Andree, et tunc electionem factam per principes de rege Frederico in imperatorem Romanum approbans confirmauit, et sancta synodus LXX capitula promulgauit: dampnauit librum Ioachim Florentis abbatis, quem contra magistrum Petrum Lombardum ediderat de unitate et essentia Trinitatis.

[Page 73]

MCCXVI Stephanus Casinensis abbas facta compositione cum Miraddo, recipit roccam Bantre. Adenulfus quondam abbas a papa dimittitur, cui ab ipso conceditur ecclesia sancti Benedicti in Capua, et de gratia ecclesia sancti Angeli in Formis additur illi.

Hoc anno dictus Stephanus Casinensis abbas Rome apud Lateranum in sacerdotem per manus Ostiensis episcopi promouetur.

Dyopuldus de ducatu Spoleti in regnum occulte rediens, super asinum sedens proditus, et cognitus apud Tyberam captus est, et senatori Urbis in custodiam traditus, et tandem interuentu pecunie liberatus.

[Page 74]

Henricus regis Fr[ederici] filius uocatus
a patre Gaietam a Panormo nauigio
ueniens, in Alemanniam uadit.
Mense Iunii Innocentius papa Urbem
exiens Perusium uadit, ubi mense Iulii
XVII Kalendas Augusti languore correptus
feliciter expirauit. Cuius obitum quidam
metrice sic defleuit:

*Nox accede, quia cessit sol, lugeat Orbis,
In medio lucis lumen obisse suum.
Lumen obiit mundi, quia decessit pater Innocentius;
iste pater Urbis et Orbis erat.
Nomen utrumque tenens uersum, notat hoc
quod habebat,
Quid mundo posset, reddere quidue Deo.
Si speciem, si mentis opes, si munera lingue
Attendas, cedit lingua, cadetque stilus.*

Hic honore debito ad Perusium tumultatus
est, et Cencius sanctorum Iohannis,
et Pauli presbyter cardinalis, in papam Honorium
substitutus est illi. Qui de tanti
patris obitu et sua promotione ubique terrarum
litteras dirigit generales. Hic mense
Septembris de Perusio ad Urbem redit, ubi
cum multo honore a Romanis omnibus receptus
est.

Hoc anno fertilitas magna fuit.

Filius regis Francie cum exercitu suo
intrauit Angliam, et ex ea non modicam
partem optinuit; propter quod per totam
Angliam excommunicatus est, papa
mandante.[Page 75]

Rex Anglorum obiit et filius eius coronatur
in regem.[Page 77]

MCCXVII. Petrus Altisiodorensis comes
in Constantinopolitanum imperatorem
electus, Romam ueniens cum consorte sua
ab Honorio papa apud Sanctum Laurentium
extra muros Urbis, in imperatorem
et imperatricem coronantur. Qui regnum
intrans, et se Brundisium conferentes cum
honesto militari exercitu, ibi dominum Iohannem
de Columna cardinalem in Costantinopolim
legatum uenturum expectant,
cum quo infausto satis omine nauigio transfretantes,
ad portum Durachii peruenerunt.
Qui prauo ducti consilio, imperatrice
eos per mare preeunte ad ciuitatem Bizanteam,
obsidere et expugnare preuiderunt
Durachium; et cum uiris non proficerent
aut uiribus suis, ab obsidione ciuitatis
ipsius digressi sunt. Qui errantes per deuia
et condensa sylvarum, a Grecis intercepti
sunt, de quibus nonnulli in ore gladii[Page 78]

perierunt, nonnulli uero capti sunt, et carcerali
squalore una cum ipso imperatore
consumpti. Ipse etiam cardinalis captus
est et detentus.

Hoc anno naualis Frisonum exercitus
Gaietam ueniens, Iherosolimam uadit in
subsidium Terre sancte. Ianuensium quoque,
Uenetum, Pisanorum et aliorum de
diuersis mundi partibus signatorum apud
Accon multitudo conuenit. Qui cum rege,
Patriarcha Iherosolimitano, Magistris domuum
Hospitalis et Templi consilium ineuntes,
cum Iherusalem propter aquarum defectum
commode adire non possent, uersus
Damiatam Sarracenorum ciuitatem nobilem
et munitam suarum nauium carbasa direxerunt.

Quo prospere applicantes eo fauente
qui mari et uentis imperat, cum fluius
ingens et turris in eo precelsa constructa
transitum ad ciuitatem penitus prohiberent,
coacti sunt sua figere tentoria circa litus.
Quod illi de Damiatam uidentes, suos mox
nuncios dirigunt ad Soldanum, per quos
se a christianis obsessos significant, et petunt
ut suum ad eos ueniant in succursum.
Qui statim collectis undique uiribus, Damiatam
se contulit sine mora, quam uiris muniuit
et uiribus, nec non et turrim predictam:
et ne christiani possent in partem alteram
nauigio transmeare, secus amnis[Page 79]

ripam acies balistariorum et arcariorum
innumeras ordinauit. Tunc christiani de
regis, et aliorum consilio, et consensu qui
preerant exercitui, ut liberior eis pateret
ad ciuitatem accessus, expugnare turrim
primitus preuiderunt, et pretio a Frisonibus
una conducta cochone, quam propter
ignem quem illi qui erant in turri, sepius
iacebant, coriis morticinis et aliis necessariis
undique munierunt, uiros audaces, et
bellicosos qui per scalam ligneam satis artificiose
compositam deberent conscendere
turrem ipsam, ordinarunt et posuerunt in
ea. Quam cum per fluuium ducerent aliquo
non obstante, hinc Sarracenis hinc christianis
alta uoce clamantibus, seque uicissim
ferientibus iaculis et sagittis, uolentes,
qui erant in cochone scalam in turris ponere
summitate, et per illam conscendere
prout fuerat ordinatum, dum niterentur in
ascendendo uiri cordati alter alterum preuenire,
mox in partes scala confracta, loricati
milites, proh dolor! ceciderunt, quorum
haud dubium est in celum anime
auolarunt. Et nostri tunc imperfecto negotio
tristes sunt, letantibus e contrario Sarracenis,
ad castra reuersi; nec tamen destiterunt
a ceptis, quin immo ad capiendam
turrem ipsam uehementius animantur. Ad
quam cum per aquas accederent, nauibus
et scalarum ingeniis geminatis, et per terram
darent ut poterant, frequentes insultus,
diuina dextera faciente, mense Augusti in
festo beati Bartholomei apostoli, turrem
ipsam optinuerunt, et qui in ea inuenti sunt
gladiis occubere nostrorum, quibusdam
nobilioribus reseruatis ad uitam, quos rex
Iherosolimitanus uinctos Accon dirigit in
uictorie signum.[Page 80]

MCCXVIII. Hoc anno mense Martii
dominus Iohannes de Columpna dudum
apud Durachium captus, ad preces pape liberatur
a uinculis, et legatus Constantinopolym
uadit.
Otto dictus imperator apud Brunsuych
naturali morte defungitur.
Pelagius Albanensis episcopus a Brundusio[Page 81]

cum Iacobo comite Andrie Romani
exercitus principe in Syriam transfretat.
Et tunc nonnulli cruce signati de terra
sancti Benedicti et aliarum partium a Gaieta
nauigio Iherosolimam petunt; et prospere
peruenientes Accon, audito de captione
turris, uadunt sine more periculo
Damiatam.
Dyopuldus prefatus de mandato regis
Frederici in Romanum imperatorem electi
a comite Iacobo de sancto Seuerino genero

suo capitur.

Constantia uxor dicti regis in Romanum
imperatorem electi, uocata a uiro suo
in Alemanniam, uadit ad ipsum.

MCCXIX. Hoc anno Honorius papa
mense Iunii Urbem exiens iuit Reate, ibique
moram faciens usque ad mensem Octobris,
inde iuit Uiterbium, et tandem Romam
reuersus est. Set cum propter Romanorum
molestias esse Rome non posset, coactus
est Uiterbium remeare.

Christi exercitus fluuium transmeat Damiate,
et posita ciuitati obsidione cum
Soldanus fugiens metus causa relictis tentoriis
in partem alteram secesserit, post strages
plurimas, post sumptus multiplices, post
labores et dampna innumera mense Nouembri
in uigilia beati confessoris Leonardi
optinuit tandem faciente Domino Damiatam,
hoc ipso Albanensi episcopo procurante.
Ciuitas autem ipsa auro, lapidibus pretiosis,
pannis sericis rebusque opimis plena inuenta[Page 82]

est, de quibus ditatus Christi exercitus
est et Egyptii spoliati. De Sarracenis
uero tanta facta est strages, quod christianis
ipsis displicuit. Tunc Soldanus ipse
furore accensus, muros Terre sancte Iherusalem
sterni ad solum fecit et a Sarracenis
incolis deseri, paucis in ea christicolis remanentibus.
Interim christiani ciuitatem
Damiate tenent et possident, et ab omni
spurcitia paganorum mundantes eandem,
construunt in ea ecclesias ad laudem et
gloriam nominis Iesu Christi. Soldanus uero
animo uiribusque resumptis, christianos non
cessat usque ad aggeres cotidie impugnare,
nostris tamen se uiriliter tuentibus et tenentibus
contra illos.

MCCXX. Honorius papa mense Iunii a
Uiterbio ad Urbem ueterem uadit et circa
finem Septembris Uiterbium rediens, exinde
Romam reuersus est.
Fredericus rex uocatus a papa uenit
cum consorte sua Constantia ad coronam,
relicto in Alemannia Henrico filio suo, et
ambo in principis apostolorum basilica
mense Nouembris in festo beate Cecilie
magnifice satis cum omnium Romanorum
gratia et honore sunt imperii diademate
insigniti. Quorum coronationi dictus Stephanus
Casinensis abbas, nec non comes
Rogerius de Aquila, comes Iacobus de[Page 83]

Sancto Seuerino, comes Ryccardus de Celano,
et nonnulli de regno barones interfuerunt,
occurrentes ipsi imperatori ut
ipsius sibi gratiam compararent, eidemque
dederunt liberaliter dextrarios, quos habebant,
quos redeuntibus in Alemanniam Teutonicis
ipse largitus est Imperator.
Tunc etiam Thomas Molisii Comes ad
ipsum Imperatorem pro illius gratia obtinenda,
misit filium suum, set cum optinere
eam non posset, contra ipsum Imperatorem se
in roccam recipit Magenulfi, comitissa
uxore sua in rocca Boiani constituta, et
relicta cum suis.
Tunc ipse Imperator per manus Ostiensis
episcopi, qui postmodum in papam Gregorium
est promotus, resumpsit crucem,
uotum publice innouauit, multosque qui intererant
nobiles idem facere animauit.

Tunc etiam dictus abbas Stephanus ad petitionem Imperatoris sibi roccam Bantre mandat restitui, et Atinum que usque tunc ex concessione imperatoris Henrici patris tenuerat ecclesia Casinensis. Imperator ipse Rome in sua coronatione quasdam edidit sanctiones pro libertate ecclesiarum et clericorum, confusione Paterenorum, testamentis peregrinorum et securitate agricultorum; et tunc Romanos fines deserens et per Campaniam iter habens uenit in Regnum, et apud Sanctum Germanum magnifice a predicto abbate receptus, mensam campsorum, et ius sanguinis que usque tunc habuerat ex concessione imperatoris Henrici, ecclesia Casinensi recipit ab eodem; Suessam, Teanum et roccam Draconis in demanium reuocat, quas dictus comes Roggerius de Aquila tunc tenebat; et se recto tramite Capuam conferens et regens ibi curiam generalem[Page 84]

pro bono statu Regni suas ascisias promulgauit, que sub uiginti capitulis continentur.[Page 93]

MCCXXI. Tunc Imperatrix Suessam uadit. Sora, quam comes Ryccardus, frater olim Innocentii pape, tenebat, ipsi imperatori se reddidit. Roggerius de Aquila comes, mandato Imperatoris roccam Arcis arctat et obsidet, quam Stephanus cardinalis sancti Adriani, qui eam tenebat, ipsi Imperatori resignari mandauit. Tunc Dyopoldus, quem comes Iacobus de Sancto Seuerino Imperatori tradidit, olim de mandatu ipsius captus, ad preces Teutonicorum dimissus est liber, datis tamen a Syfrido fratre suo et resignatis Imperatori[Page 94]

Aliphia et Caiatia, quas tenebat. Tunc etiam Thomas de Aquino factus Acerrarum comes Magister iustitiarius factus est Apulie et Terre-Laboris. Boianum Imperatori se reddidit; ubi cum barones comitatus qui Imperatoris manum dederant contra Thomam Celani et Molisii comitem conuenissent, comes ipse super eos irruens in fugam uertit eosdem, Boianum combussit et de illius uictualibus roccam Boiani muniuit, uxorem suam comitissam secum ducens ad roccam Maienulfi. Dictus Acerrarum comes cum imperiali exercitu roccam Boiani adiens, illam arctat et obsidet, qui eam per compositionem obtinet pro ipso Imperatore, deinde rocce Maienulfi in qua dictus comes Thomas se receperat, obsidionem parat. Illis diebus rocca Ianule super Sanctum Germanum de nouo firmata diruitur, iuxta editam Capue constitutionem de nouis edificiis diruendis. Celanum Imperatori se reddidit, quibusdam in turri Celani et in Obinulo se ad fidelitatem comitis Molisii recipientibus; propter quod Celanenses Imperatoris gentem in suum succursum uocant, cum qua turrim ipsam aggredientes uiriliter, ui eam capere nequiuerunt. Imperator ceteris de regno sibi colla flectentibus, per Apuliam et Calabriam iter habens, feliciter in Siciliam transfretat, et Messane regens curiam generalem, quasdam

ibi statuit ascisias obseruandas, contra
lusores taxillorum et alearum nomen Domini
blasphemantes, contra Iudeos, ut in
differentia uestium et gestorum a christianis
discernantur, contra meretrices, ut cum[Page 95]

honestis mulieribus ad balnea non accedant
et ut earum habitatio non sit intra menia
ciuitatum, contra ioculatores obloquentes,
ut qui in personis aut rebus illos offenderit,
pacem non teneatur imperialem infringere.
Hoc anno uicesima a personis ecclesiasticis,
a laycis uero decima pro subsidio
terre sancte per totum regnum colligitur,
et per Gualterium de Palearia Regni cancellarium,
et per Henricum de Malta comitem,
marini stolii ammiratum, ipsam Damiatam
transmittit, licet tunc temporis ammissa
fuerit culpis exigentibus Damiata. Propter
quod ipse cancellarius iram Imperatoris metuens,
se Uenetias contulit, et dictus comes
redit in Regnum, qui ab Imperatore captus
est, et terram quam tenebat, ammisit, rex uero,
patriarcha Iherosolimitanus, Albanensis
episcopus et ceteri qui in bello fuerant
christiani, sub securo Soldani conductu ad
Acconitanam redeunt ciuitatem. Hanc igitur
tantam et tam grauem christianorum iniuriam
et Damiata ammissionem, duxi ego
notarius Ryccardus huius operis actor
rithmice deplorandam:

Diro satis percussus uulnere
Diro cogor singultu luere
Ueh, [lamentum et carmen] dicere
Nostre gentis de casu misere

Que signata crucis signaculo
Crucis hosti cedit allophilo
Non fit pugna ense uel baculo
Set premente famis periculo

Quantus dolor, quanta calamitas
O quis pudor, qualis anxietas
Quod succubuit christianitas
Impiorum gaudet impietas

Iesu bone, si fas est dicere
Cur sic placuit nos deicere
Mori malo quam ultra uiuere
Uinci uidens debentes uincere
[Page 96]

Quis in tanto dolore positus
Sui diem non optet obitus
Christi uictus iacet exercitus
Unde pudor, dolor et gemitus

Quis non meret hoc infortunium
Luctus ora conclusit omnium
Roma, caput et mater Urbium
Omne tibi defecit gaudium

Per te uenit hec tribulatio
Mundi plorat quam omnis natio
Christiane cedis occasio
Tu fuisti; sis releuatio

In te forma facta concilii
Causam dedit huius exilii
Agar [nobis insultant filii]
Tui s[pernunt uires auxili]i

Damiata, que tot laboribus
Tot effusis empta cruoribus

Christianis olim principibus
Paruisti, nunc pares hostibus

De te fame sonus exierat
Damiata non est que fuerat
In te Christi fides floruerat
Quam ancille nunc stirps dedecorat

Hysmaelite te detitulant
Aras euertunt, templa uiolant
Quod tibi tot penas accumulant
Peccata nostra sunt, que pullulant

Ubi nunc decus est ecclesie
Christiane flos et militie
Legatus, rex, et dux Bauuarie
Uicti cedunt uiris perfidie

O quam prauo ducti consilio
Exierunt duces in prelio
Damiata, tu das exilio
Quos fouisti fere biennio[\[Page 97\]](#)

Maledicta fatorum series
Qua sit tanti mali congeries
Cunctos tangit ista miseries
Cunctis datur flendi materies

Mundus totus et mundi principes
Sunt doloris participes
Tuam ergo causam ut uindices
Te nos, Christe, precamur supplices

Igitur quod dicere nequeo non dolendo,
per compositionem reddita Damiata Soldano,
liberati sunt utrimque captiui et christiani
principes, qui contra Soldanum inconsulte
processerant, liberati.
Mense Septembri in festo natiuitatis
beate Uirginis tarenii noui cuduntur
Amalfitani.[\[Page 101\]](#)

MCCXXII. Honorius papa mense Februarii
Urbem exiens uenit Anagninam, ad
quem Imperator uocatus uadit, et apud Uerulas
cum ipso papa conueniens, per dies
XV solempne insimul colloquium habuere,
statuentes apud Ueronam cum aliis orbis
principibus pro succursu Terre sancte curiam
regere generalem; et tunc data fide
quod in certo termino tamquam Imperator
in Terre sancte subsidium transfretaret,
in Regnum rediens, roccam adiit Magenulfi,
quam iussit arctius obsideri a Thoma Acerrarum
comite et hiis qui cum eo erant; et
ipse festinus in Siciliam reuersus est propter
Myrabettum Sarracenorum ducem, qui
eam pro uiribus infestabat.
Honorius papa Romam reuertitur, quam
postmodum exiens uenit Alatrum.
Romani super Uiterbium uadunt.
Imperatrix in Sicilia obiit.
Comes Thomas de Celano, licet satis[\[Page 102\]](#)

arctatus, nocturno tempore roccam exiens
Magenulfi, sub fido ducati iter faciens per
montana ad castrum se contulit, quod Ray[naldus]
de Auersa sororius eius tenebat; a
quo acceptis equis, et sociis paucis, clanculo
intrat Obinulum, et deinde cum suis
supra Celanum ueniens, spe ductus eorum
de Celano, qui assistebant eidem et nouerant
illius aduentum, imperiales, qui erant
intus Celanum, et turrim pro uiribus impugnabant,
diluculo aggressus est, eosque in

fugam uertit, multos cepit, et carceribus deputauit, et tunc totam Marsiam equitat, predatur Ciuitam, Paternum comburit, et que potest in Celano uictui necessaria congregat. Quo cognito dictus Acerrarum comes paucis in obsidione rocce Maienulfi relictis, una cum Stephano Casinensi abbate et Raynaldo Capuano archiepiscopo contra ipsum comitem super Celanum uadit; dictus tamen archiepiscopus subita infirmitate correptus in uia mortuus est. Dictus comes Molisii ab Acerrarum comite arctatus est, et Celanum extra obsessum. Imperator in Sicilia de Mirabetto triumphat, et de ipso et suis fecit quod eorum meruerat exigentia commissorum. Seruientes de Neapoly et Gaieta loricati et cum scutis super Celanum uadunt. Dictus Acerrarum comes in obsidionem rocce Magenulfi reuertitur. Tunc comitissa cum se diutius tenere non posset, accepta a prefato Acerrarum comite pro se et suis securitate personarum et rerum, roccam[Page 103]

Magenulfi ipsi comiti ad opus Imperatoris restituit; que funditus postea est euersa. Hoc anno mense Augusti Fundana ciuitas pro maiori parte, casu accidente, igne cremata est. Mense Septembris stella cometes apparuit. Imperator sua statuta per Regnum dirigit, qualiter in singulis ciuitatibus castellis et uillis singula mercimonia uendi debeant ad denarios nouos Brundusii, cassatis tarenis nouis Amalphie iuxta arbitrium sex bonorum hominum uniuscuiusque terre ad hoc iuratorum; et super hoc generales litteras mittit.[Page 107]

M.CC.XXIII. Iohannes rex Iherosolimorum qui postmodum de filia sua cum Imperatore contraxit, ueniens de partibus transmarinis cum magistro domus Hospitalis Iherosolimitani, Romam uadunt ad Honorium papam, qui tunc grauiter patiebatur in crure. Imperator de Sicilia in Apuliam uenit, inde in Terram Laboris, et exinde ad Sanctum Germanum, ubi fieri cum cardinalibus colloquium sperabatur, cum ipse papa propter suam infirmitatem colloquio interesse non posset. Tunc tractus a cardinalibus est in Campaniam Imperator, ubi etiam hortatu regis Iherosolimitani et magistri domus Hospitalis se contulit ipse papa, et apud Ferentinum habens cum Imperatore colloquium, promisit publice usque ad biennium in Terre sancte subsidium transfretare, et filiam dicti regis ducere in uxorem iurauit. Qui accepta a papa licentia in Regnum rediens et iter per Soram habens, Celanum uadit, ubi ad se comitissam Molisii, que adhuc in rocca Magenulfi remanserat, uenire faciens, nec non et filium eius alloqui per eam fecit ipsum comitem, ut[Page 108]

Imperatori se redderet. Set cum hoc optinere non posset, muniri optime iubet et custodiri collem Sancti Flauiani, et ipse se in Apuliam confert exinde in Siciliam rediturus, relictis tunc in manus Henrici de Morra Magistri iustitiarii comitissa predicta et filio eius. Post discessum uero Imperatoris ipso agente adhuc circa fines

Apulie, inter Cesarem et comitem Molisii compositum est mediante Romana ecclesia, in hunc modum: Quod ipse comes securus cum rebus et personis, que ipsum sequi uoluerint, Regnum exhibit, Celano, Obinolo et aliis que tenebat, pro Cesare resignatis, et comitis uxori eius comitatus est Molisii reseruatus ex pacto. Tunc hiis ita gestis, dictus comes cum suis ad Urbem se contulit, comitissa comitatum Molisii recepit, Celanensibus precipitur, ut exeuntes de domiciliis cum suppellectilibus suis, facere in clausuris habitacula deberent. Quibus exeuntibus, Celanum totum est dirutum et combustum, sola ecclesia sancti Iohannis superstite remanente; sicque mutato nomine, que Celanum antea uocabatur, est Cesarea postmodum appellata. Unde metrice quidam dixit:

*Uires et nomen Celanum perdit et omen
Fertur Cesarea, cesaque facta rea.*

Serra super Celanum firmatur, et ex tunc Celanenses a finibus propriis discesserunt;[Page 109]

nec eis habitare concessum est in eisdem, quare ad loca alia eos oportuit demigrare.

Hoc anno rex Francie obiit et filius eius coronatur in regem.

Mense Martii in festo sancti Benedicti celum totum uisum est igneum, et pluit eo die terra et cinis.

In Gaieta, Neapoly, Auersa et Fogia, iussu Cesaris, castella firmantur. Sernie, menia diruuntur, cuius ciuitatis fere medietas igne comburitur, castellum Carpenonis et alia quam plura de nouo castra firmata in comitatu Molisii et per loca alia secundum statuta imperialia dudum Capue edita euertuntur. Pro implendis statutis ipsis quidam Roggerius de Pesciolanzano executor ab Imperatore dirigitur. Imperator in Sicilia Sarracenos arctat et obsidet, quorum partem non modicam sibi subiectam ad partes mittit Apulie moraturam apud Lucerium, reliquis se in montanis tenentibus contra eum. Propter quod Roggerium de Aquila, Thomam de Caserta, Iacobum de Sancto Seuerino, et filium comitis Tricaricensis, Regni comites, uocat ad seruitium suum in Sicilia. Qui in comitatu et manu breui euntes ad ipsum, capi eos et teneri precepit, et eorum terras per[Page 110]

Henricum de Morra Magistrum iustitiarum recipit ad opus suum.

Inquisitiones fiunt in Regno iussu Imperatoris sub prestito iuramento, ut dicat quilibet quid pro decimis, et cui, quid pro conredis imperialibus, et cui quid pro facto Boiani rocce Magenuffi, que hoc anno euersa est, et pro Cesarea dedisset.

Hoc anno Danorum et Norweie reges, pater et filius, a quodam principe Alamannie capti sunt, et Henrico regi filio Imperatoris traditi.

Imperator comitatum Molisii in demanium reuocat, pro eo quod comes Molisii uocatus ab Henrico de Morra Magistro iustitiaro, uenire coram eo noluit ad iustitiam faciendam. Item pro stipendiis militum et seruientium, quos ad debellandos rebelles Sarracenos Sicilie statuerat, certam pecunie

summam per totum Regnum mandat colligi
Imperator; et tunc per quemdam iudicem
Urbanum de Teano collecte fuerunt de
terra sancti Benedicti uncie auri CCC.[Page 112]

MCCXXIII. Dicti Fundanus Casertanus
Auellini et Tricarici comites in Sicilia
ab Imperatore detenti, ad interuentum Honorii
pape, dimissi sunt liberi et Regnum
exeunt, suis tamen filiis et nepotibus pro
se obsidibus datis.
Hoc anno Pandulfus Uerracelus, Norwicensis,
episcopus duo noua palatia que
sunt in curia Sancti Germani suis sumptibus
ad opus mandat construi monasterii
Casinensis.
Henricus de Morra iussu imperiali Celanenses
reuocat ubique dispersos, ut ad
propria redeant, et redeuntes capit et in[Page 113]

Siciliam mittit, quos apud Maltam dirigit Imperator.
Mense Madii inquisitiones fiunt Imperatore
mandante, de collectis et talleis, de
rupturis domorum, de arma portantibus,
de lusoribus taxillorum.
Mense Iunii summitates murorum Sancti
Germani nouiter reparate solo sternuntur.
Mense Iulii pro ordinando studio Neapolitano
Imperator ubique per Regnum mittit
litteras generales.
Hoc anno imperator Minianum in demanium
recipit.
Muri Sancti Germani optentu magistri
Petri et magistri Roffredi de Sancto Germano,
imperialis Curie iudicum, integri remanent,
Imperatore mandante.
Imperator ipse pro libertatibus ecclesiarum
et clericorum, iustitiario Terre Laboris
suas litteras mittit, in quibus mandat, ut
ecclesias omnes, clericos, obedientias, possessiones
et homines eorum contra libertates,
quas habuerant temporibus regum in
collectis et talleis, datis et aliis publicis
seruitiis ammisceri cum aliis non permittant,
et nichil cum laycis participant in eisdem,
nisi probetur, quod tempore regis Guillelmi
secundi cum eis in huiusmodi seruitiis
contulissent.
Mense Septembris pro facto Sarracenorum
Sicilie tantundem colligi mandat de
terra Casinensis ecclesie Imperator, quantum
collectum fuit in prope preterito mense
Ianuarii.
Marchio Montisferrati cum electis nonnullis
militibus quos in Lombardiam et
Tusciam retinuerat, uenit Brundusium, profecturus
in Romaniam in succursum ciuitatis
Thessalonicensis, quam Commiano tenebat
obsessam; et relicta gente sua Brundusii,[Page 114]

ipse ad Imperatorem in Siciliam uadit,
consilium ab eo et auxilium petiturus. Interea
tamen ipse Commiano optinet ciuitatem
ipsam, diu eam obsidendo, et dictus
marchio nichilominus a Brundusio in Romaniam
transfretat.[Page 120]

MCCXXV. Iohannes Iherosolimitanus
rex de partibus rediens ultramontanis, cum
uxore sua pregnante filia regis Hyspanie,
quam duxit ibidem, apud Capuam morari
elegit, ubi Imperatore mandante honorifice
receptus est, ibique mense Aprilis filiam
peperit uxor eius, cum qua postmodum in
Apuliam descendit, et apud Melphiam Imperatorem

de Sicilia uenturum expectat.
Tunc Imperator ipse barones omnes
et milites infeudatos ad Sarracenorum confusionem
in Siciliam uocat, et tunc ipse in
Apuliam uenit.
Honorius papa Urbem exiens propter
seditiones et bella que in ea fiunt sub Parentio
senatore, apud Tybur se contulit, ad
quem, pro dilatione passagii optinenda Imperator
mittit regem predictum et patriarcham;
qui tamen apud Reate accepere
responsum.
Interea Imperator omnes Regni prelatos[Page 121]

ad se in Apuliam uocat, et eos quamquam
inuitos tamdiu secum detinuit, donec
per ipsos regem et patriarcham sibi pro
certo innotuit, quod a papa benignum receperant
responsum super hiis ad que fuerant
missi. Quibus ad Cesarem redeuntibus,
ad Sanctum Germanum XXII Iulii cum eis
se contulit Imperator, ibique ad eum missi
a papa duo ueniunt cardinales, Pelagius
scilicet Albanensis episcopus et Gualo tituli
Sancti Martini presbyter Cardinalis. Et
tunc in ipsa ecclesia Sancti Germani dictus
Imperator capitula hec seruare iurauit, uidelicet:
quod hinc ad duos annos in Augusto
complendos personaliter transfretabit
in subsidium Terre sancte, ibique tenebit
mille milites per biennium ad seruitium
suum, et ducet secum centum chelandros,
et tenebit ibi quinquaginta galeas bene armatas.
Interim dabit passagium duobus
millibus militum et familiis eorundem in
tribus passagiis, et pro milite tribus equis.
Hec et alia capitula in eius presentia lecta,
presentibus quibusdam Alamannie principibus,
nonnullis etiam prelatis et Regni nobilibus
promisit Imperator se publice seruaturum
excommunicatione adiecta in se
et terram suam, si hoc non fuerit obseruatum,
et hoc ipsum Raynaldus dictus dux
Spoleti iurauit in anima sua. Actum predicto
mense Iulii in festo sancti Iacobi. Et
tunc per cardinales ipsos iam dictus Imperator
a iuramento, quod apud Uerulas fecerat,
denuntiatus est absolutus. Et eo celeriter
in Apuliam recedente, cardinales
ipsi Reate se ad summum pontificem
contulerunt.
Tunc Imperator ipse principibus Alamannie,
ducibus, comitibus et potestatibus
Lombardie per suas mandat litteras, ut in
futuro pascha resurrectionis Domini apud
Cremonam ad eum conuenire deberent.[Page 122]

Mense Augusti mutuum ab Imperatore
per totum Regnum exigitur, et tunc loco
mutui collecte sunt de terra monasterii Casinensis
uncie MCCC per Petrum dominimum
Ebuli et Nycolaum de Cicala, tunc
iustitios Terre Laboris.
Mense Septembris marchio Montisferrati
in Romania naturali morte defungitur.
Eodem mense quinque uacantibus in
Regno ecclesiis, quinque dominus papa Honorius
prefecit motu proprie uoluntatis,
inscio et irrequisito Imperatore, uidelicet
quendam Casinensem monachum Iohannem,
cognomento de Sancto Liberatore, ecclesie
sancti Uincentii de Uulturno; Consane priorem
quemdam sancte Marie noue de Urbe;
Salernitane Famagustanum quondam episcopum;
Auersane cantorem Amalfitanum,

et Capuane Pactensem quondam episcopum;
quos tanquam in suum preiudicium promotos,
recipi Imperator in ipsis ecclesiis non
permisit. Euntem etiam in Siciliam tunc
ad eum cum litteris apostolicis quendam Casinensem
monachum Nycholaum de Colle
Petri, in abbatem Sancti Laurentii de
Auersa promotum non admisit.
Mense Nouembris Imperator ipse apud
Brundusium Ysabellam filiam dicti regis
Iherosolimitani magnifice desponsauit.
Inquisitiones de facto mutui fiunt per
terram monasterii.
Pax reformata est in Urbe, senatorie
dignitati cedente Parentio, et Angelo de
Benencasa substituto eidem.
Denarii noui qui imperiales uocantur,
cuduntur Brundusii, et ueteres cassati sunt.
Imperator apud Troiam natalem Domini
celebrat.
Coloniensis archiepiscopus in Alamannia[Page 123]

a quodam consanguineo suo interfectus
est.
Imperator pro facto prelatorum quos
papa creauerat, suos ad eum nuntios mittit.
Hoc anno rex Alamannie Henricus
filius Imperatoris filiam ducis Austrie duxit
uxorem.
Honorius papa pro facto crucis predicatorum
mittit, et in Alamanniam [dirigit
Portuensem] episcopum cum litteris suis,
quas ipsis predicatoribus simili modo
concedit.
Hoc anno rex Francie monitus per
dominum Romanum apostolice sedis legatum,
contra Albigenses cum copioso Francorum
exercitu in Prouinciam uadit.
Reges Hyspani terram M[iramammollini
intran].
Honorius papa indulgentiam Sarracenisci,
que ex longiturnitate temporis satis
inoleuerat, tanquam falsam cassauit, et irritam
per suas litteras denuntiauit pariter et
inanem, pro eo quod clerici loci eiusdem
dabant accedentibus ad ipsam ecclesiam
remissionem omnium peccatorum, facientes
eis intelligi, quod ita de peccatis omnibus
emundati recederent, sicut pertica quedam
quam ostendebant eis cortice emundatam.[Page 135]

MCCXXVI. Mense Ianuarii H[onorius
papa Oliuerium natione ... ad ecclesiam
sancti Uincentii assumptum electum ad] Imperatorem
in Apulia mittit.
[Imperator ipse baronibus et militibus
infeudatis] ceteris mandat, ut omnes se preparent
ad eundum secum in Lombardiam,
et ut omnes apud Piscaram, ubi octauo[Page 136]

intrante Martii esse Imperator ipse disponit,
debeant conuenire.
Eo tempore Iohannes dictus rex Iherosolimitanus
discors ab Imperatore discedit.
Imperator de Apulia uenit in Terram
Laboris, et relicta aput Salernum in castello
Terracine imperatrice consorte sua, ipse in
Apuliam redit celer, ubi Henricum de Morra
Magistrum iustitiarum, capitaneum statuit
Regni sui, et ipse Piscaram se contulit; ac
exinde in ducatu Spoleti perueniens, hominibus
ducatus ipsius per suas precipit litteras,
ut secum in Lombardiam debeant
proficisci; quod cum facere ipsi renuerent,
preter pape mandatum, cui tenebantur, Imperator

ad eos litteras iterat grauiiores, quas illi de ducatu ad papam remittunt. Quas ipse papa moleste ferens, quod homines ecclesie sub certa pena uocabat Cesar ad expeditionem, suas ad eum litteras dirigit; quas ipse Imperator graues reputans, rescribit ei quasi de pari, et quia in rescripto ipso suam uoluntatem satis Imperator uoluit declarare, duxit ipse papa sibi asperius rescribendum, propter quod Imperator ut ipsius placaret animum, rescribit humiliter in omni subiectione.

Tunc mittit a Rauenna, ubi pascha Domini celebrat, Henrico Alamannie regi filio suo, ut sibi in Lombardiam occurrat. Deinde a Rauenna discedens, extra Fauentiam, que sibi aduersa erat, iter habens, apud castrum sancti Iohannis in territorio Bononiensi posuit castra sua, ipsum parte sui exercitus per ciuitatem Bononie preeunte.[Page 137]

Exinde uero se Ymolam contulit, ubi tamdiu moram fecit, donec sicut prius fuerat eam fecit aggeribus communiri, et procedens inde uersus Parmam dirigit iter suum.

Tunc Henricus rex Alamannie cum copioso exercitu suo uenit usque Ueronam, set Lombardis impredientibus, ultra procedere non est permissus.

Imperator Cremonam uadit, ibique diebus paucis faciens moram, cum se ciuitas Ueronensis cum Mediolano et aliis subscriptis ciuitatibus ipsi Imperatori contrariis confederasset, ad Burgum Sancti Dompnini se contulit; ibique sibi coadsistentibus quibusdam prelatis et principibus Alamannie ac proceribus Regni sui, contra ciuitates istas sibi contrarias, uidelicet Mediolanum, Ueronam, Placentiam, Uercellum, Laudam, Alexandriam, Teruisium, Paduam, Uicentiam, Torinum, Nouariam, Mantuam, Brexiam, Bononiam et Fauentiam, diffidationis promulgauit edictum, quod ceteris[Page 138]

sibi fauentibus ciuitatibus precipit obseruari.

Tunc predictus Alamannie rex, combusta ciuitate Tridenti, in Alamanniam redit cum suis; et Imperator pater eius per Tuscie partes in Regnum reuersus est, et in Apuliam ueniens, conuocatis ad se iustitiariis omnibus Regni sui, ab eis de acceptis omnibus exigit rationem.

Tunc prelati omnes quos papa creauerat, scilicet Brundusinus, Consanus, Salernitanus archiepiscopi, Auersanus episcopus et abbas sancti Laurentii de Auersa in suis ecclesiis recipiuntur.

Rex Francie Auignonum obsessam cepit, et exinde cum legato apostolice sedis ad expugnandam Tolosam uadit, ubi uenenatus, ut dicitur, obiit.

Imperator certum numerum militum dirigit ultra mare.

Nicolaus de Cicala et Petrus domini Ebuli cedunt officio iustitiariatus, et Roggerius de Galluccio et Marius Rapistrus de Neapoly substituuntur eisdem.[Page 139]

Mense Nouembris Reginus et Tyrensis archiepiscopi cum magistro domus Alamannorum a Cesare mittuntur ad papam pro compositione inter ipsum et Lombardos facienda. Inter quos, mediante papa, facta

est in hunc modum: quod Imperator generaliter remittit omnibus predictis ciuitatibus, legatis presentibus ibidem, et ipsi pro parte ciuitatum iurauerunt pacem inter se inuicem obseruare, [et denuo committere cum domino] Imperatore milites CCCC. ad subsidium Terre sancte in transfretatione sua. Imperator mense Decembris cum imperatrice consorte sua in Siciliam transfretat, et tunc Stephano abbati Casinensi has indulgentie litteras mittit: *Fre[dericus] et cetera, Stephano uenerabili* Casinensi abbati fideli suo et cetera. Fidelitati tue presentibus uolumus esse notum, quod ad supplicationem tuam, quam per iudicem Petrum de Sancto Germano fidelem nostrum nostro culmini porrexisti, petitiones tuas clementer admisimus, super eo uidelicet, quod antiqua iura et rationes, quibus tempore regis Guillelmi recolende memorie tuum monasterium est prouisum, *tibi et ipsi monasterio conseruare de nostra*[Page 140]

gratia dignaremur. Uerum quia de ipsis iuribus et rationibus non constabat, per Petrum de Ebulo et Nycolaum de Cicala iustitarios Terre Laboris inquisitionem fieri fecimus diligenter. Qua clementer inspecta, et per iudices Curie nostre diligenti preuisione discussa, capitula que inferius continentur, sicut legitime sunt probata, uidelicet. Quod tempore regis Guillelmi secundi, dum ipse rex causa orationis uenisset ad monasterium Casinense, et [pro causa procuratie pro] ipso domino rege Petrus de Insula, tunc Casinensis abbas, fecit colli[gi collectam] per totam abbatiam per ordinatos baiulos suos, et ipse procurauit eum. Item quod cum aliquis condempnabatur in mercede Curie regis, iustitarii faciebant de persona uelle suum, terra remanebat ecclesie, et omnia bona sua recipiebat monasterium Casinense; et si persona que erat condempnata uolebat se redimere, licebat ei uendere de rebus suis. Item quod cum Imperator Henricus mandasset redemptionem colligi per totum Regnum, abbas fecit colligi partem contingentem ipsam abbatiam. Item quod precatio, que prestabatur regi Guillelmo, per abbatem fiebat, et ministri abbatis colligebant per terram monasterii precationem ipsam, et baiuli regis nunquam uisi sunt ibi ad hoc. Item quod si quando aliqua seruitia iniungebantur a domino rege abbati uel etiam hominibus abbacie, quod expediebatur per abbatem, monachos et ministros eius. Item quod si que iniugebantur abbacie, expediebantur per abbatem et per homines suos. Item quod quando rex misit stolium in Romaniam, abbas Casinensis *dedit milites domino regi, et ipse collegit*[Page 141]

per abbatiam solidos, tibi et monasterio tuo duximus confirmanda. Quare mandamus fidelitati tue, quatenus dictis iuribus et rationibus per te et officiatos tuos uti debeas, sicut per inquisitionem ipsam legitime sunt *probata. Datum Fogie, etc.* Indulxit tunc etiam Imperator ipsi Casinensi abbati, ut homines terre sue ipse mitteret ad opus castelli Gaiete, sicut per Pandulfum et Robbertum, dominos Aquini hactenus mittebantur. Honorius papa Iohanni regi quondam Iherosolimitano pro uite sue sustentatione terram committit ecclesie a Uiterbo usque

ad Montem Flasconem.
Henricus de Morra Magister iustitiarius
a[u]ctoritate imperiali, contra forbannitos
et lutores taxillorum, et euntes nocturnis
horis, post tertium campane sonitum, sua
statuta edidit in Sancto Germano; ac contra
tabernarios etiam, ut ad secundum campane
sonitum claudant tabernas suas, ita
quod ad tertium campane sonitum nulla
earum aperta ualeat inueniri. Et super hiis
inquirendis certum statuit numerum iuratorum,
qui penas statutas a transgressoribus
recipiant pro diuersa criminum qualitate.
Quod si aliquis iuratorum in dolo seu fraude
uel negligentia fuerit deprehensus, penam
recipiat quam recipere deberent predicti,
saluo in omnibus mandato et ordinatione
imperiali.

Idem Magister iustitiarius per apertas
litteras suas concessit dicto abbati Stephano,
ut sibi liceret iuxta recordum bonorum
hominum Sancti Germani generales nundinas
per annum, quo tempore uellet, ordinare
in ipsa terra Sancti Germani.[Page 142]

Comes Raynaldus filius Raynaldi de
Bareto se contra Imperatorem in introduco
recipit: quem Bertoldus frater Raynaldi
dicti ducis Spoleti congregato imperiali
exercitu obsidet et expugnat.
Hoc anno lacus Marsie, qui Fucinum
dicitur, usque adeo obriguit et congelauit,
quod homines in eo desuper ambulantes,
boues trahebant cum trabibus et aliis lignaminibus
necessariis ad coquinam.[Page 146]

Millesimo CCXXVII. Mense Ianuarii carestia frumenti tanta in urbe Roma facta est,
ut rublus tritici pro XX. solidis denariorum senatus haberi uix posset.
Honorius papa suos ad Imperatorem in Siciliam nuntios mittit, ut sibi et Romane curie
in uictualio subueniret; qui per Henricum de Morra Magistrum iustitiarum hoc fieri mandat.
Mense Martii dictus Honorius papa obiit XV. kalendas aprilis, et Hugolinus Ostiensis
episcopus in papam Gregorium substitutus est illi. Qui per uniuersum orbem de sua promotione
et obitu predecessoris suis mittit litteras generales.
Mense Iunii dictus papa Urbem exiens uenit Anagniam, et suos tunc ad Imperatorem
nuntios dirigit, ut sibi fodrum faciat ab hominibus Regni deferri; qui Henrico de Morra
Magistro iustitiarum hoc faciendum delegat.
Imperator ipse iustitiarum omnes Regni sui ad se in Siciliam uocat, reddituros sibi de
acceptis omnibus rationem.
Interea per totum Regnum pro felici transitu suo generalem collectam imponit, et tunc
collecte sunt de terra monasterii uncie CCCCL. Imperator ipse de Sicilia in Apuliam uenit,
qui ad papam Reginum archiepiscopum et magistrum domus Teutonicorum legatos mittit.
Thomas de Aquino Acerrarum comes in Syriam transfretat mense Iulii.
Celanenses omnes, qui captiui in Sicilia tenebantur, liberi dimittuntur, Imperatore
mandante.
Eodem mense lancauius cum cruce signatorum exercitu de Alamannia in Apuliam uenit
transiturus in subsidium Terre sancte.
Tunc in Anagnia ducente ferme domus, papa ibidem presente, combuste sunt. Fodrum
portatur ibidem iussu imperiali, ad quod recipiendum et assignandum quidam de Sancto
Germano, Guillelmus Fallochio nomine, per Imperatorem constitutus est ibi.
Stephanus Casinensis abbas XI. stante Iulii in festo sancte Praxedis in Casino obiit.[Page 147]

Cuius obitus tam pape quam Imperatori per quosdam de fratribus nuntiatur, a quibus de
electione facienda recipiunt in mandatis.
Imperator cum imperatrice consorte sua mense Augusti Ydrontum uadit, ubi relictas
imperatrice consorte sua, inde uadit Brundisium, ubi totus conuenerat cruce signatorum
exercitus, et ubi omnia uascella ad transfretandum fecerat congregari.
Interea de tota Marsia obsides capiuntur. In castello Gaiete castellanus et seruientes
ponuntur.
Eodem mense quidam in Urbe uicarius pape se faciens, papa inscio et absente, dum
fauore fretus Romanorum quorundam qui hoc fieri tolerabant, gratia questus, stans apud
porticum sancti Petri, et potestate utens apostolica, cruce signatis omnibus absolutionis beneficium
impendebat, et per Romanos fautores tanti criminis, crucem ab eis, quam assumpserant,
deponebat. Qui a senatore Urbis captus, post denunciationem sibi a papa factam, tunc
apud Anagniam existente, captus est et debita persone pena mulctatus.
Interea pars cruce signatorum non modica in Apulia, superueniente infirmitate, cecidit

per mortis occasum. Imperator tamen cum lancraui et reliquis cruce signatis se parat ad transitum, ita quod in die natiuitatis beate Uirginis a Brundusio transfretans uenit Ydrontum, et spem faciens hiis quos premiserat de transitu suo, morari apud Ydrontum ex causa necessaria uoluit; ubi, casu accidente, dictus lancrauius obiit, et ipse tunc etiam Imperator, sicut disposuerat superueniente egritudine non transiuit. Quam ob rem papa motus[Page 148]

contra eum, aput Anagniam penultimo mensis Septembris in festo dedicationis Archangeli sine cause cognitione denuntiavit ipsum Imperatorem in latam dudum aput Sanctum Germanum ex communicationis sententiam incidisse. Imperator de Apulia tunc uenit ad balnea Puteoli. Gregorius papa, de Anagnia per Uelletrum iter habens, redit ad Urbem. Ad quem ad suam excusationem suos dirigit nuntios Imperator, Reginum scilicet et Barensen archiepiscopos, Raynaldum dictum ducem Spoleti, et comitem Henricum de Malta, quibus non plus credens quam nuntiis suis, de inualitudine Imperatoris, uocatis ad Urbem prelati cis montes et de Regno quos potuit, in octauis beati Martini publice excommunicat ipsum, et per totum Occidentem litteras super hoc dirigit generales. Electio, licet diuersa, abbatis in monasterio Casinensi celebrata est, inter quos Landulfus Senebaldus unus de electis, representata pape electione de gratia concessus est abbas, suum in eum Imperatore dante assensum, et aliorum per papam electione cassata. Tunc Imperator ipse mense Nouembris uenit Suessam, et inde Gaietam se confert, et de eisdem gressibus Capuam redit, ubi, ad suam excusationem, ad omnes orbis principes, et in Alamanniam litteras mittit, quibus significat eis, quod ad transitum paratus cum esset, superueniente egritudine, transire non potuit; quod cum domino pape ipse per suos nuntios intimaret, cum nollet super hoc eius nuntiis fidem dare, contra se processerat pro motu proprie uoluntatis. Interim omnes Regni sui comites Capuam conuocat, ibique rexit curiam[Page 149]

generalem, statuens ut singuli feudatarii darent de unoquoque feudo octo uncias auri, et de singulis octo feudis militem unum in proximo futuro mense Maii, in quo ad Terre sancte subsidium transfretare disponit. Solempnem uero curiam apud Rauennam statuit mense Martii celebrandam. Tunc prudentem uirum magistrum Roffridum de Beneuento mittit ad Urbem cum excusatoriis suis, quas idem magister publice legi fecit in Capitolio, de uoluntate senatus, populiue Romani.

Mense Decembris Landulfus Senebaldus in abbatem Casinensem electus ad papam uadit, et in quatuor temporibus natalis Domini ab eo sacerdotii munus accepit. Et cum eo quidam Gregorius de Carboncello Casinensis monachus in abbatem Terremaioris promotus est, cum quibus duo ex parte pape nuntii ueniunt ad Cesarem cardinales, magister scilicet Thomas tituli sancte Sabine presbiter, et magister Oddo sancti Nycolai in carcere Tulliano dyaconus cardinalis. Et tunc cum eis celebrato natali apud Sanctum Germanum, ad Imperatorem uadit abbas Casinensis predictus, ipsos preunte dicto abbate Terremaioris; qui a Cesare prohibitus, ad suam tunc ecclesiam non accessit.

MCCXXVIII. Mense Ianuarii denarii noui Brundusini per Ursonem castaldum in Sancto Germano dati sunt, quorum summa fuit c.l.x. uncie quos magister Fredericus et Fredericus Landus de Malacucclara, procuratores ab abbate relictis, distribui particulariter per terram monasterii preceperunt.

Eodem mense clericorum focarie filii et filie, iussu Imperatoris, capiuntur ubique per Regnum.

Dicto Casinensi abbati ab Imperatore in mandatis datur, ut centum seruientes bene paratos inueniat, cum expensis et armis per annum necessariis ad seruitium Terre sancte. Dictus magister Fredericus et Fredericus Berardus de Celano uocati ad papam uadunt, quorum alter, scilicet Fredericus Berardus, procuracionem recipit sancti Gregorii in Urbe; alteri uero Farfensis ecclesie rennuit abbatiam.

Archiepiscopus Panormitanus nuntius a Soldano ad Cesarem rediens, elephantem unum, mulos et pretiosa quedam alia munera ipsi Imperatori detulit ex parte Soldani.[Page 150]

Mense Februari Oderisius de Auersa Casinensis monachus a Gregorio papa in Abbatem sancti Uincentii promotus est.

Mense Martii pro centum predictis seruientibus collecte sunt de terra monasterii uncie m.cc.

Eodem mense Landulfus Casinensis abbas uocatus est a Cesare, ut ad ipsum uadat apud Tarentum. Et quibusdam de Regno prelati iniungitur, ut se ad transfretandum debeant preparare.

Imperator apud Barolum pascha Domini magnifice celebrat in omni gaudio et exultatione, quia sicut ex litteris tunc didicerat Thome de Aquino Acerrarum comitis ad suum seruitium in Syria existentis, illis diebus Coradinus Soldanus Damasci mortuus fuerat. Quam ob rem in subsidium Terre sancte dirigit Ryccardum de Principatu marescalcum suum cum quingentis militibus, qui a Brundusio felici omine transfretauit.

Gregorius papa, celebrato pascha apud Lateranum, post tertium diem ad sanctum Petrum se contulit, ubi Romani accedentes ad ipsum, cum illum crederent Urbem uelle occulte exire, tum propter factum Imperatoris, tum pro facto Uiterbii, iniuriis multis et contumeliis affecerunt ipsum, et seditio magna contra eum facta est a popularibus.

Mense Aprelis Romanorum exercitus super Uiterbium uadit.

Imperator pro subsidio Terre sancte ab ecclesiis et personis ecclesiasticis ubique per Regnum certam exigit pecunie quantitatem, et tunc de mille ducentis unciis propter hoc impositis terre monasterii, remisit Imperator de gratia uncias auri centum.

Gregorius papa Urbem exiens sub fido ducatu, uadit Reate mense Aprelis.

Eodem mense Gregorius papa per suas mandat litteras uniuersis ecclesiarum prelati et clericis per Regnum Sicilie constitutis, sub interminatione ultionis canonice, ne quis eorum Imperatori aut baiulis suis dare aliquid pro redemptione, data uel collecta presumat. Imperatrix apud Andriam filium parit nomine Chunradum; que non multo post, sicut Domino placuit, ibidem in fata concessit.[Page 151]

Imperator Regni prelati et magnatibus coram se apud Barolum congregatis, parato sibi tribunali sub diuo propter gentis multitudinem que copiosa erat, proponi fecit et legi subscripta capitula in modum testamenti; ut uidelicet omnes de Regno, tam prelati quam domini et eorum subditi omnes, in ea pace et tranquillitate uiuerent et manerent, qua esse et uiuere soliti erant tempore regis Guillelmi secundi, relicto tunc Regni ballio Raynaldo duce Spoleti et si deficere Imperatorem contingeret, sibi in Imperio et Regno succederet Henricus filius eius maior; quod si illum absque liberis mori contingeret, Chunradus filius eius minor succederet illi; quod si ambo decederent, filiis non extantibus, filii ipsius superstites quos de legitima uxore suscepit, in eodem Regno suo succedant: et precipit ut omnes homines Regni sui que statuit debeant iuramento seruare; que tamen sic obseruari mandauit si in presenti passagio humanitus de ipso aliquid contingeret, nisi aliud testamentum ab eo editum compareret. Hec coram se iurari fecit Imperator a duce predicto et Henrico de Morra Magistro iustitiarum et aliis nonnullis de Regno qui interfuerunt. Disposuit etiam, quod nullus de Regno pro data uel collecta aliquid daret, nisi pro utilitatibus Regni et necessitatibus expediret.

Mense Maii casale quoddam in Apulia, quod Gaudianum dicitur, Melfiensis dyocesis ob culpe meritum Imperatore mandante destruitur.

Domini de Pupplito rebelles facti sunt Imperatori.

Romani facta in extrinsecis destructione Uiterbii, et optento per uim castro quodam quod Raspampanum dicitur ipsis Uiterbiensibus subdito, leti ad Urbem redeunt; quibus recedentibus, Uiterbienses in campis castra ponentes, que possunt mala irrogant circumadiacentibus castellis fautoribus Romanorum.

Mense Iunii imperialis exercitus super dominos de Pupplito uadit, quibus Pupplitum auferunt et nonnulla alia castra.

Gregorius papa a Reate discedens uadit Spoletum et exinde Perusium.

Imperator apud Brundisium se conferens, mare intrat, ac apud Sanctum Andream de insula iussit omnia nauigia parata ad transitum conuenire; ac exinde Ydrontum nauigans, feliciter ultra mare ad crucis obsequium transfretauit; ubi quid egerit et qualiter in Terre sancte recuperatione profecerit sequens lectio declarabit.

Gregorius papa mense Iulii de Perusio uadit Ascisium, ubi fratrem Franciscum, Minorum fratrum ordinis inuentorem, propter duo que fecerat miracula in aperto, in ceco uidelicet uno et claudo, quibus uisum et gressum reddiderat, canonizauit; et Perusium rediens, ibi anniuersarium magnifice celebrat Innocentii pape predecessoris sui.[Page 152]

Eodem mense Iulii mons Iscle subuersus est, et operuit in casalibus sub eo degentes fere septingentos homines inter uiros et mulieres.

Mense Augusti Marius Rapistrus cessit officio iustitiarius, et Stephanus de Anglone et Pandulfus de Aquino substituti sunt illi de mandato ducis Spoleti. Qui de Apulia Introducum uadit, et omnes de Regno sollicitat infeudatos ut ad eum uadant cum exfortio suo ad dominorum Popliti rebellium confusionem, qui se contra Imperatorem in Capitinnano receperant. Interea imperialis exercitus capit turrem de Renaria, et terram quamdam de nouo contra Imperatorem firmatam, quam totam destruxerunt. Raynaldus dux Spoleti cum imperiali gente dominos Popliti in Capitinnano obsidet; qui cum se non tenere possent, accepta ab eo securitate de personis et rebus suis, se apud Reate contulerunt. Tunc dux ipse Marchiam intrat, ac Bertholdus frater eius circa Nursie prouinciam remanet. Qui castrum quoddam, quod Brusa dicitur, sibi rebelle destruxit, eiusque incolas penis addixit uariis et tormentis; et Sarracenorum traditos potestati, quos secum de Apulia duxerat, in ipsis, cruciatibus exalare coegit.

Gregorius papa in ducem ipsum, pro eo quod Marchiam intrauerat et ammonitus sepius, ut ipsam exiens in pace dimitteret et hoc ipse dux facere noluit, excommunicationis sententiam promulgauit, eiusdem excommunicationis innodans uinculo omnes sequaces illius. Cumque nec sic reuocare posset eundem, uim ui repellere licitum putans, ad Marchie defensionem, que ecclesie suberat, materiali gladio nisus est contra ipsum, qui iam pro parte Marchiam ad opus Imperii ceperat occupare; et tunc Iohannem quondam Iherosolimitanum regem; et Iohannem de Columpna cardinalem, cum copioso militari et pedestri exercitu dirigat contra eum. At cum nec sic dux ipse desisteret ab inceptis, arbitratus est ipse papa contra Regni filios acies dirigere bellatorum, ut Regni statu et pacis quiete turbata, quod dux ipse uoluntarius noluit, sic facere cogeretur inuitus, et Marchiam dimitteret, quam usque Maceratam Cesaris imperio subiugarat. Nam collectis undique Campanie ac maritime uiribus, congregauit exercitum, cui quemdam Pandulfum de Anagnia capellanum suum, qui legationis[Page 153]

officio fungebatur, et exclusos de Regno comites, Thomam de Celano et Roggerium de Aquila prefecit capitaneos et ductores.

MCCXXIX. Hii mense Ianuarii xiiii. mensis eiusdem per Ceperanum uenientes in Regnum clauē signati, insulam Pontis Solarati que Regni erat ostium, quam quidam Adenulfus Balzanus pro Imperatore tenebat, primitus expugnantes, cum se tenere non posset, per uim ceperunt.

Bartholomeus quoque de Supino, qui castrum tenebat Sancti Iohannis de Incarica, et

Ryccardus filius domini Roberti de Aquila, qui dominus erat Pastine, metus causa sponte ad mandatum uenerunt ecclesie. Et preteriens exercitus flumen Telerii, uersus Fundos dirigit castra sua; et cum ciuitatem ipsam quam quidam Iohannes de Poli ciuis urbis Rome pro Imperatore tenebat, acriter impugnaret, ui eam obtinere non potuit, sicque confusus nec sine graui dampno Ceperanum reuersus est. Uenerat tunc temporis ad Sanctum Germanum Nycolaus de Cicala pro parte Imperatoris, et Henricus de Morra Magister iustitarius superius nominatus cum Regni filiis, Raone de Balbano comite, Landulfo de Aquino et Stephano de Anglone iustituario; Adenulfo de Aquino filio nobilis uiri Thome de Aquino Accerrarum comitis, Rogerio de Galluccio, aliisque undique congregatis Imperatori fidelibus, ad resistendum hostibus prompta uoluntate paratis; domini etiam de Aquino Pandulfus et Robertus Aquinum pro fide Cesaris laudabiliter munierunt. Tunc Landulfus Casinensis abbas Casinum et roccam Iani necessariis omnibus sufficienter muniuit, et roccam ipsam dudum iussu Cesaris dirutam a parte Sancti Germani in menibus reparauit. Tunc et homines Sancti Germani mandato iustitarii summitatem murorum Sancti Germani Cesaris dudum imperio dirutam repararunt; seque inermes, armis necessariis ad resistendum hostibus decenter armarunt.

Papalis exercitus, qui clauium signa gerebat, roccam Arcis, in qua quidam Rao de Azia erat pro Cesare castellanus, impugnare preuidit, set cum in nullo proficerent, non absque lesione graui, uilla ipsius rocce combusta, Ceperanum reuersus est. Et tunc quidam de exercitu discurrantes per terram Sancti Benedicti, uillas Riui, Uitellati, et ecclesias sancti Petri et sancti Pauli de Foresta, Dei metu postposito, bonis omnibus spoliarunt. Mense Martii, III intrante eodem mense qui dies erat sabbati, papalis exercitus pretermissa[Page 154]

ciuitate Aquini, cum predictis exclusis comitibus terram intrat Sancti Benedicti; qui castrum Pedemontis per uim capientes, licet qui erant in eo, pro uiribus restitissent, quadraginta seruiantes ad ipsius castri custodiam deputarunt. Hii sequenti dominica uersus Sanctum Germanum suas acies dirigentes, uenerunt usque ubi dicitur Monumentum. Et exinde discedentes, cum nullus de imperiali exercitu hoc Magistro iustituario prohibente, egrederetur ad illos, per Plumbareolam, que metus causa fuerat ab incolis derelicta, iter habentes, et per castrum Pignatarii, quod desertum similiter fuerat, uersus Sanctum Angelum Theodici dirigunt gressus suos. Set cum nihil proficerent quia bene munitum erat castrum, et illuc Roggerius de Galluccio cum XL. seruiantibus missis a Magistro iustituario uenerat, abinde recesserunt et uersus castrum Teramum profecti sunt; quod ui capientes, quanquam ipsius habitatores optime se pro fide Cesaris defendissent, bona diripientes eorum, illud incendio tradiderunt; sicque onerati spoliis in Campaniam sunt reuersi. Quibus recedentibus Magister iustitarius cum imperiali exercitu exiens de Sancto Germano, una cum dominis Aquini super castrum Pedemontis uadit, illud dare destructioni disponens, nisi abbatibus et conuentus precibus destitisset, sicque in sua reuersi sunt. Tunc ad ipsum iustitiarium uires fidelium Cesaris undique confluentes, cum eis resistere hostibus se parabat. Mense igitur Martii, XVII. mensis eiusdem qui dies erat ueneris, rediens papalis exercitus ad castrum Pedemontis, sequenti die sabbati se in duas diuidens acies, per montes et plana milites et pedites iter habentes, eorum quidam uersus monasterium et quidam uersus Sanctum Germanum dirigunt gressus suos. Quibus cum idem Magister iustitarius, cuius ducebant animum diuersorum consilia in diuersum, uellet obstare, ne per montium aditus liber pateret hostibus ad Sanctum Germanum accessus, ipsis per uires oppositas obsistere preuidit in monte, mittens ad obseruandos montium transitus quosdam de nocte milites et balistas. Qui ascendentes hostes pro uiribus repellentes, bellum inire cum eis pro fide Cesaris minime timuerunt. Cumque in loco ubi est ecclesia sancti Matthei seruorum Dei conflictus fieret, rumor ad ipsum iustitiarium, quod sui cum hostibus dimicarent, ad Sanctum Germanum peruenit. Qui mox licet inconsulte montem subiens, nec metuens mortis occasum, hostium in medio se obiecit cum suis; quem secutus Adenulfus filius Acerrarum comitis memoratus et nonnulli milites et pedites, qui mori pro fide Cesaris non timebant, hostium ictus repellere suis ictibus conabantur. Set cum locus non esset ydoneus ad pugnandum, et uiam illam, qua itur ad Sanctam Mariam de Albaneto, fugatis imperialibus de supernis papalis iam acies occupasset, cum ex aduerso ascendentibus ipse iustitarius obstare non posset, retrocedere non sine suorum clade coactus est; et tunc cum ipso Adenulfo Acerrarum comitis filio in brachio uulnerato et ex suis admodum paucis in uallo Casinensis monasterii se recepit, ubi per ipsum iustitiarium Iacobus Sinibaldus custos fuerat institutus; reliquos uersus Sanctum Germanum ad fugam cogentibus qui habuerant de Marte triumphum. Quos ciues Sancti Germani qui Cesaris fidem seruabant unanimiter receptantes, cum suis omnibus saluos fecerunt, et ea die, quamquam diros et duros paterentur insultus ab hostibus, ita quod enses ignem et[Page 155]

iacula non timerent, turribus et menibus insistentes, hostium uiribus non cessere. Sic ergo die ipsa, nouercante fortuna, de imperialibus obtenta uictoria, Pandulfus apostolice sedis legatus ab ea parte que dicitur Porta uetus cum nonnullis de maioribus exercitus ueniens, sub comminatione depositionis et destructionis perpetue monasterii abbatem prefatum ut sibi ad mandatum pape monasterium redderet et ipsum iustitiarium traderet in manus suas, inducere procurauit. Quod cum facere omnino renueret, dicens quod absque graui et grandi periculo fieri hoc non posset, longo super hoc tractatu habito, quem ego nescio Deus scit, a legato et suis pro Magistro iustituario et hiis qui secum erant prestito iuramento, quod salui essent, ipsi legato patuit monasterium. Qui statutis in eo militibus et seruiantibus ultra centum, cum abbate et Magistro iustituario mox ad Sanctum Germanum descendit. Quos cum homines Sancti Germani, quamquam sepius requisiti, non recepissent nisi scirent in uero ipsum iustitiarium liberatum et suos, ea nocte in burgo exteriori eos oportuit pernoctare. Ea uero nocte comes Rao de Balbano cum nonnullis de exercitu imperiali, qui se

in Sancto Germano receperant, et plus de morte quam de uita sperabant - metuebant enim, ne a ciuibus hostibus traderentur - ab hiis qui noctis uigilias custodiebant, de Sancto Germano per posterulas ciuitatis dimissi sunt liberi, et abierunt in sua, et nichil de suo harnesio ammiserunt. Igitur mane sequenti papalis exercitus terram intrat Sancti Germani, rocca lani se prius reddente legato; cui homines Sancti Germani iurant ad opus pape, licet inuiti. Quo audito et cognito, tremuit omnis terra, que se non poterat ab hoste tueri. Tunc Magister iustitarius liber dimissus est, et se Capuam contulit. Adenulfus etiam de Aquino

Acerrarum comitis filius, necnon et Iacobus Senebaldi predicti redierunt in sua.

Post dies uero decem se mouens de Sancto Germano exercitus, facta compositione cum iis qui erant in palatio Miniani, Minianum recipiunt, quod heredibus quondam Malgerii Sorelli restituunt; et procedentes inde, Presentianum optinent, Uenafrum et Sernia per nuntios se sibi reddunt. Pretam quoque per uim optinent et Uayranum, ac totam terram filiorum Pandulfi usque Caluum, quod similiter recipiunt ad opus ecclesie. Teani necnon ciuitas et Calenum ueniunt ad mandatum pape. Tunc per Francolisium iter habens exercitus, Suessam se contulit sibi pro fide Cesaris resistentem; quam longa satis obsidione arctatam cum iam ciues inciperent sitis squalore deficere, non curantes arborum et uitium incisiones, illuc enim uenerat apostolice sedis legatus Pelagius Albanensis episcopus, ciuitatem ipsam recipiunt ad opus pape, necnon et castellum, quod munire seruientibus curauerunt; et procedentes inde, uersus roccam Draconis dirigunt gressus suos. Quam circumposita obsidione arctantes, uilla prius inferiori optenta, et una de turribus per uim capta et diros insultus, facta cum castellano compositione roccam ipsam obtinuerunt. Tunc Gaietani cum castellano castelli componentes, castellum recipiunt ad manus suas. Et tunc per Albanensem[Page 156]

episcopum Gaietanorum ciuitas, qui parere nolunt ecclesie, supponitur interdicto. Tunc etiam, ipso legato mandante, dicto Casinensi abbati castrum restituitur Pedemontis. Predicti Aquini domini Pandulfus et Robertus, ciuitate Aquini relicta se Capuam conferunt, ibidem una cum Magistro iustitario et Nycolao de Cicala, qui erant in ea, ad Cesaris seruitium moraturi.

Aquinum ipsis recedentibus dominis uenit ad mandatum ecclesie, Pontecuruum etiam et tota terra monasterii. Roccam Bantre, in qua quidam erat castellanus Apulus, quidam ipsius legati clericus, Oddo de Machilone nomine, recipit ad opus pape, data eidem castellano quadam pecunie quantitate. Tunc quidam Guillelmus de Sora, qui pro Imperatore Traiectum tenebat et Sugium, ea legato reddidit ad opus ecclesie.

Gaiete ciuitas multis inducta suasionibus et promissis in partem cedit ecclesie, et castellum, quod Cesar in ea fieri fecerat multis laboribus et expensis, diruitur, et omnis eius structura in mare proicitur. Quidam tamen Gaietanorum, in fide Cesaris radicati, de ciuitate relictis propriis abierunt. Tunc Roggerio de Aquila comiti Sugium restituitur et Traiectum.

Illis diebus predictus Guillelmus de Sora a quodam Taffuro, ciue Capue castellano rocce Guillelmi, capitur et custodie traditur carcerali.

Beneuentani, qui Romane ecclesie suberant, audito quod papali exercitui sic prospere cederet, in Apuliam discurrentes, predam bouum et animalium aliorum magnam ceperunt. Quibus cum predictus comes Rao de Balbano in reditu se opponeret, ab eis deuictus est et fugatus; propterea Magister iustitarius, collectis undique uiribus et hiis, qui Imperatoris fidem seruabant, ab ea que dicitur Porta summa deuastat in exterioribus Beneuentum. Fratres Minores ubique per Regnum iussu Raynaldi ducis Spoleti expelluntur de Regno, cum diceretur quod ipsi ad prelatos ciuitatum apostolicas tulerint litteras, ut homines inducerent, quod se debent reddere domino pape. Tunc et monachi Casinenses de suis obedientiis[Page 157]

captis omnibus que habebant, expelluntur ipso duce mandante, et metus causa multi ex ipsis mutare habitum sunt coacti.

Papalis exercitus consilio inito uersus Capuam uadit, et a parte Anglene per triduum moram fecit; erat enim ciuitas Capue uiris munita et uiribus, que fidem Imperatori integre conseruabat. Post triduum uero inde se mouens papalis exercitus, uersus Aylanum dirigit castra sua, quod castellum predictus Acerrarum comes tenebat; set qui erant intus, cum se posse defendere desperarent, nepote ipsius comitis abbate Casinense partes suas interponente apud legatum, castrum ipsum recipit ad manus suas. Indeque procedens exercitus uadit Aliphiam, quam licet pro uiribus renitentem, post diros insultus factos in eam per uim optinet, et ad opus illam recipit ecclesie: similiter et castrum Pedemontis, quod erat comitis memorati; turris tamen castri ipsius est ad fidem ipsius comitis conseruata. Tunc et ciuitas Telesie legato se reddidit causa metus.

Papalis exercitus per terram Iohannis San Fraymundi, quam sibi pro parte subegit, transiens, occurrentibus illis de Beneuento, se contulit Beneuentum; et tunc ipsi Beneuentani cum papali exercitu et cum uiribus suis uicinos aduersarios uehementer impugnant, Padulem et Apicem, cum se tenere non possent, recipiunt. Cippalonum comburunt, munitione superstitite remanente. Casalia Montis Fusculi igne cremant; ubi adueniente rumore, quod Cesar de Siria in Apuliam uenerat, papalis exercitus causa metus cepit dissolui. Dominus Iohannes de Columpna cardinalis et Iohannes rex quondam Iherosolimitanus et Lombardorum copiosus exercitus Raynaldum ducem Spoleti, uelut hostem ecclesie persequentes, illum exire Marchiam et in Regnum redire compellunt, et receptantem se in Sulmona tenent obsessum. Tunc castrum Pectorani recipiunt.

Romani super Uiterbium uadunt, et ciuitatem ac castrum quoddam ad eam pertinens deuastantes, quod Monasterium dicitur, ad Urbem reuersi sunt.

Tunc Pelagius legatus predictus nuntios ad Iohannem de Columpna cardinalem et Iohannem regem quoddam Iherosolimitanum sub celeritate transmittit, ut ad se uenire festinent.

Qui ad uocationem legati ab obsidione recedentes ciuitatis Sulmone, per uallem Sangri in comitatum Molisii ueniunt, Alphidenam ui capiunt, et castellum eius, in quo se quidam Uinciguerra de Auersa receperat cum gente sua, et ipsum et suos duxerunt captiuos. Skintronem recipiunt, uillam castelli de Sangro comburunt. Comes Campanie cum militari et pedestri exercitu super Soram uadit, illam ad opus pape recipit, munitione superiori se pro Cesare tenente; recipit etiam Arpinum et Fontanam, uallem quoque Soranam et totam Marsiam. Rex uero quondam Iherosolimitanus cum Iohanne de Columpna Cardinale flumen Uulturni transiens, Campanorum exercitui, qui[Page 158]

ob metum Imperatoris, de quo fama erat quod in Apuliam aduenisset, apud Telesiam repedauerat, se coniungit, et inde progrediens totus exercitus, supra Caiatiam uadunt. At Imperator de Siria in Apuliam ueniens, apud Brundisium ad expugnandos Lombardorum et Campanorum hostiles cuneos gentem congregat, litteras de felici aduentu suo in Siciliam et Calabriam mittit, fideles suos de Capua hortatur et animat ad fidelitatem suam, mittens ad illorum auxilium dictum Thomam de Aquino Acerrarum comitem, et celerem succursum suum promittens eisdem. Tunc ad eum uadit dux prefatus cum suis liber exiens de Sulmona, Magister iustitiarius, et alii qui sibi fidem seruauerant incorruptam. Illis diebus milites nonnulli strenui Teutonici de Syria uenientes ad portum Brundisii applicuerunt; quorum fretus auxilio Imperator qualiter cum eis et Regni fidelibus in recuperatione terre profecerit, premissis tamen quod in Terra sancta egerit ipse, quod silentio pretereundum non est, sequens lectio declarabit. Igitur cum adhuc esset in Syria imperator, hec in Regnum de ipso fama peruenit: quod XV. nouembris primo preteriti, loppem ueniens cum christianorum exercitu, ad rehedificationem castris ipsius intendit, ut facilius fieret in Iherusalem processus, et dum [exercitus] per terram necessaria cum sagmeriis sufficienter mittere nequiuisset, quilibet pro facultate sua barcas in portu Acconitano onerauerat. Sed mutato aere et turbato mari, tanta subito tempestas inhorruit, ut uascella cum uictualibus nullatenus ad exercitum ferri possent; et cum Christi exercitus in multa anxietate tunc esset, fere omne consilium exercitus iam desperabiliter murmurantes, nil aliud superesse uidebant, quam in Acon redeundum. Qui dum in tali essent discrimine positi, misericors et miserator Dominus, qui facit post tempestatem tranquillum et prope est omnibus inuocantibus ipsum, serenato mox aere, mare tumidum pacauit, tantaque nauium et barcarum multitudo uenit loppem, ut omnis defectus prius habitus in plenitudinem omnium necessariorum, et habundantiam mutaretur. Ab illo tempore ulterius tantam fecit Deus aeris temperiem, ut indifferenter et magna et minima uascella irent et redirent per mare, ita quod omnis copia necessariorum in terra semper est habita. Tunc de communi omnium consilio cepta sunt edificia castris loppem in fossatis et muris erigendis, quod erit memoriale in eum omni christianitati, quia per Dei gratiam ex nimia deuotione ac affectu quem Imperator et omnis populus circa idem opus habebat, et laborabat incessanter tota die, ante dominicam caput quadragesime usque adeo fuit promotum, quod a principio sue inchoationis nunquam extitit adeo forte et bene factum. Interea uero cum hec sollicitate agerentur, nuntii Soldani et Imperatoris indifferenter ibant hinc inde, tractantes de bono pacis et concordie. Soldanus uero idem et frater eius, qui uocabatur Sarech, cum innumerabili exercitu iuxta Gazeram iacebant ad unam dietam, et Soldanus Damasci cum suo magno exercitu erat apud Neapolym, per unam similiter dietam distans ab[Page 159]

exercitu christiano; et dum de restitutione tractaretur Terre sancte, dominus Iesus Christus, qui est sapientia Patris, sua solita prouidentia sic ordinauit, quod Soldanus restituit sanctam Iherusalem ipsi Imperatori, et christianis cum omnibus tenementis suis, excepto quod templum Domini deberet esse in custodia Sarracenorum, quia diu consueuerant orare ibidem, et ut liberum introitum et exitum habeant illuc accedentes orationis causa, et christianis similiter orationis causa sit expositum. Uillam etiam que dicitur ad sanctum Georgium et casalia que sunt ex utraque parte uie usque Iherusalem reddidit. Bethleem quoque et casalia que sunt inter ipsam et Iherusalem restituit. Nazareth etiam cum suis tenementis, et cum casalibus que sunt inter Accon et Nazareth, reddidit in manus christianorum. Redditum est etiam castrum Zorontis cum suis tenementis pertinentiis et uillis. Nec non ciuitatem Guidonis cum tota planitie que sibi attinet reddidit, set omnes terras, quas christiani tempore pacis habebant, et in pace tenebant. Licebit autem ex pacto Imperatori et christianis rehedificare ciuitatem sanctam Iherusalem in muris et turribus, castrum loppem et castrum Cesaree, Montem Fortem et castrum nouum, quod firmari hoc anno inceptum est in montanis. Uerisimile enim uidetur, quod si tunc Imperator cum gratia et pace Romane ecclesie transisset, longe melius et efficacius prosperatum fuisset negotium Terre sancte. Set quantam in ipsa sua peregrinatione persecutionem pertulerit ab ecclesia, cum non solum quod pro uelle ipsum dominus papa excommunicauerit, uerum etiam quod ipsum excommunicatum scirent et tamquam excommunicatum uitarent eundem patriarche Iherosolimitano mandauit, magistris domorum Hospitalis et Templi; propter quod non absque sui culminis graui iniuria suum in exercitu Christiano iussit preconium subterfieri, et ne Terre sancte dissolueretur negotium, ad quod ipse Imperator pro uiribus incumberebat et intendebat, ipsi exercitui super Teutonicos et Longobardos magistrum domus Teutonicorum et super homines regnorum Iherusalem et Cipri, Ryccardum Filangerium marescalcum suum et quendam Oddonem de Monte Beliaro prefecit capitaneos et ductores; et ob hanc causam Soldanus ipse cum sciret ipsum Imperatorem tali odio ab ecclesia persecutum, uix cum eo componere inductus est. Composuit tamen sic: quod usque ad finem treuguarum pacem sibi ad inuicem obseruarent, captiui omnes hinc inde sue libertati restituerentur, et sic receptis ab ipso Soldano Terra sancta et locis predictis, de consilio omnium peregrinorum ipse in Iherusalem profectus est,

ubi eo die, quo ciuitatem sanctam ingressus est Imperator, archiepiscopus Ceraree nuncius patriarche adueniens, ciuitatem ipsam et specialiter sepulchrum Domini supposuit interdicto de mandato patriarche ipsius, primitias recuperationis ipsius non benedictione, set anathemate persecutus. Preterea qualiter contra ipsum Imperatorem aput Accon postmodum redeuntem predicti patriarche, magistri domuum Hospitalis et Templi se gesserint, utpote qui contra[Page 160]

ipsum intestina bella mouerunt in ciuitate predicta, hiis, qui interfuerunt, luce clarius extitit manifestum.

Ceterum quia ad Regni subsidium, quod ut superius diximus Romana sic ceperat ecclesia occupare, necessario de Syria rediit Imperator, statim nuntios suos misit ad papam quosdam fratres de domo Teutonicorum, per quos ipsius habere gratiam supplicat, et esse uelle ad suum et ecclesie mandatum exponit.

Papalis exercitus firmata obsidione super Caiatiam machinis et viribus suis illam vehementer impugnat; et licet occupauerint ciuitatem, arcem tamen ui capere nequuerunt, hiis qui erant in ea se pro Cesare tuentibus contra eos.

Mense Iunii Gregorius papa predictus fratrem Franciscum, innocentis uite uirum, qui institutor ordinis fuit fratrum Minorum, aput Perusium de fratrum suorum consilio duxit sanctorum catalogo ascribendum, mandans ubique terrarum diem quo solo carnem et celo spiritum reddidit, III^o scilicet Nonas Octobris, annis singulis solempniter excolendum.

Item Imperator ipse moram in Apulia faciens, et congregans ad hostium Regni repulsam exercitum copiosum, suos pro pace ad papam legatos misit, Reginum uidelicet et Barenssem archiepiscopos, nec non et magistrum domus Teutonicorum. Qui Caiatiam uenientes, que a papali exercitu tenebatur obsessa, cum litteris Albanensis episcopi et cardinalis sancte Praxedis ad Romanam curiam sunt profecti. Qui cum in nullo profecerint, redierunt.

Tunc in Gaieta per papam potestas constituitur Iohannes de Iudice ciuis Anagninus ad petitionem Gaietanorum. Tunc etiam Adenulfus de Aquino filius Acerrarum comitis Atinum recipit Imperatore mandante, et Philippus de Aquino recipit castrum Celii.

Imperator cum cruce signatorum exercitu contra clauigeros hostes properat in Terram Laboris. Tunc dominus Iohannes de Columpna cardinalis sub specie afferende pecunie pro stipendiis exercitus ad papam uadit.

Pelagius Albanensis episcopus et rex quondam Iherosolimitanus, cognito quod uenturus erat Capuam Imperator, rupta obsidione et combusta machina que vulgo dicitur trebuccettum, quod multis sumptibus fecerant, Teanum se conferunt, ubi non absque timore suas acies ponunt a Caiatia discedentes.[Page 161]

Tunc Roffridus archipresbyter Sancti Germani per Albanensem episcopum, papa mandante, in Teanensem episcopum est assumptus.

In Apulia illis diebus quidam Paulus de Logotheta imperialis iustitiarius membratim trucidatus est ab hiis, qui odio Imperatorem habebant.

Imperator cum fortunato cruce signatorum exercitu uenit Capuam mense Septembris, et ab ista parte Capue Sarracenorum cuneos ordinauit, seque Neapolym contulit eris et gentis a ciuibus auxilium petiturus.

Tunc ciuitas Sanctagathensis sponte uenit ad mandatum ecclesie, et se reddidit domino pape.

Comes Rogerius de Aquila filium suum recipit, quem in Sicilia obsidem tenuerat Imperator.

Pelagius Albanensis episcopus pro defectu solidorum, quos habere non poterat, capi iubet thesaurum ecclesie Casinensis, et ecclesie Sancti Germani per Calinensem episcopum, cum quo clerici Sancti Germani in certa quantitate pecunie conuenerunt, ne thesaurum ecclesie asportaret.

Imperator a Neapoly Capuam rediens mouet exinde castra sua, et ueniens Caluum, ubi nonnulli de papali exercitu conuenerant ad defensam, illam fecit undique impugnari, et tunc captos quosdam de Campania suspendi iubet. Et tandem Caluum recipit ad mandatum et fidelitatem suam. Indeque non obstantibus hostibus per Ryardum habens transitum ad Sanctam Mariam de Ferraria uenit indemnis; ubi per triduum moram faciens Uayranum recipit, Aliphiam, et Uenafrum, et totam terram filiorum Pandulfi.

Dictus uero Pelagius Albanensis episcopus, et rex quondam Iherosolimitanus per Mefinum iter habentes, cum toto exercitu Minianum uenerunt, et inde celeri fuga petierunt Sanctum Germanum.

Illis diebus homines Sancti Germani timentes, ne papalis exercitus aut imperiali cederet aut uictus succumberet, suppellectilem suam et queque pretiosa ad loca transtulerant tutiora.

Tunc per biduum in Sancto Germano moram protrahens papalis exercitus, frumento, uino, et aliis necessariis munire roccam Iani et Casinense monasterium cogitabat; set acceleratus per nuntios Sancti Germani, ad terram ipsam properat Imperator; moxque papalis exercitus dissolutus, de Sancto Germano exiens, gressu prepete in Campaniam est reuersus. Et tunc metus causa qui in Casino statuti fuerant et in rocca Ianule seruientes, dimissis ipsis munitionibus recesserunt. Set in Casino se recipiens Albanensis episcopus redire ad monasterium milites et seruientes coegit.

Tunc cum ipso legato Aquini et Aliphie episcopi ascenderunt Casinum, et in Sancto Germano per ipsum legatum prohibitum est celebrare diuina. Ceteri uero prelati qui cesserant in partem ecclesie, Romam se contulerunt.[Page 162]

Imperator ipse aput Sanctum Thomam de Strata sua castra ponens III^o Nonas Octobris, uillam Pedemontis que dicitur Sancte Lucie, suis dedit in direptionem et predam.

Castrum Pedemontis dominis Aquini concessit.

Tunc ecclesia Sancti Matthei seruorum Dei a Sarracenis qui erant in exercitu imperiali,

bonis est propriis spoliata, pre timore paucis aut nullis remanentibus in eadem.
Tunc etiam uallum Casinensis monasterii est mandato Cesaris hinc inde fortiter impugnatum, sed pugnatore nec in aliquo profecerunt. Illuc uenientes ex parte ciuitatis Suesse iudex Taddeus et alii, ciuitatem ipsam Cesari reddiderunt, ad quam recipiendam, concesso eis priuilegio, quod pro uniuersitate petierant, continuo dirigit Imperator.
Tunc Presentianum rocca Bantre Sernia et Aliphia ad mandatum Cesaris redierunt. Similiter et tota terra monasterii, Arpinum quoque et Fontana. Cumque ad recipiendam Soram dictum Acerrarum comitem mitteret Imperator, ipsum Sorani recipere contempserunt. Tunc quidam comes Maio de Romania cum nonnullis Grecis militibus de Romania ex parte Commiano ad Imperatorem cum magnis muneribus nuntius uenit.
Tunc in rocca Ianule quidam de Calabria castellanus constitutus. In Sancto Germano per Imperatorem baiuli ordinantur Guillelmus de Bantra et Mattheus Dionisius. In tota terra sancti Benedicti Raynerius Belegrimi et Bartholomeus de Bantra camerarii ordinantur. In rocca Bantre Thomas de Magistro castellanus ponitur.
Imperator suas in Lombardiam et Tusciam et Romanniolam literas dirigit in hac forma: *Fred[ericus] et cetera potestatibus consulibus et consilio ciuitatum Lombardie, fidelibus suis, et cetera.* Ut de nostrorum felicitate successuum certa uos noua letificent, uestris duximus desideriis presentibus intimandum, quod nos de ultramarinis partibus prospere per Dei gratiam redeuntes, de inimicis nostris qui Regnum nostrum inuaserant feliciter triumphauimus, dum audientes nos contra eos in manu ualida et potenti uenturos, non expectatis aut expertis uiribus nostris, in Campanie finibus fuge sibi presidium elegerunt. Sicque Domino cooperante, et nos comitante iustitia que de celo prospexit, quod ipsi de Regno nostro nobis absentibus, per anni dimidium occupauerant, nos breui dierum spatio recuperauimus et revocauimus ad demanium et dominium nostrum. Uolentes igitur imperii et regni nostri quietem et pacem cum consilio uestro disponere, ac in Teutonium e uestigio properare, fidelitatem uestram monemus et hortamur attentius, firmiter ac districte precipiendo mandantes, quatenus hiis receptis litteris in equis et armis decenter armati uestrum ad nos festinetis accessum, quoniam nos uniuersis, et singulis pro sui qualitate seruitii curabimus respondere. Datum apud Sanctum Germanum iii Nonas Octobris iii. *Indictionis.*
Ciuitas Teani Imperatori se reddidit, data optione episcopo remanendi in Regno et episcopatu suo, uel exeundi si uellet.
Demanium curie Casinensi per dictos camerarios totum applicatur fisco imperiali.
Ad roccam Ianule uinum et victualia deferuntur.
Quidam Leo Crinutus Gaietam uadens ex parte Imperatoris ut se redderet Imperatori, ab ipsis Gaietanis interfectus est.
Imperator mutato castellano in rocca Ianule eam Pandulfo et Roberto dominis Aquini, nec non castellum Pontiscurui et castellum Nouum committit. Item ducentos milites mittit in Marsiam, que tota rediit ad fidelitatem suam, excepta turre de Foce.[Page 163]

Bertoldus frater ducis Spoleti se in Marsiam contulit, Imperatore mandante.
Imperator a Sancto Thoma mouens castra sua XIII mensis Octobris, pluvia ingruente reuersus est ad Sanctum Germanum, ibique per dies septem moram faciens, inde digressus est, iter faciens uersus Aquinum, suas orbis principibus dirigens excusatorias super facto Terre sancte, super quo ipsum falso detulerat patriarcha Iherosolomitanus ad dominum papam, quod cum Soldano treguas firmauerit in ignominiam nominis christiani; super quo testimonium inuocat uenerabilium Wintoniensis et Cicestrensis episcoporum, magistrorum domus sancti Iohannis et Teutonicorum, marescalci domus Hospitalis, et fratris Aymarii, fratrum quoque predicatorum, qui treuguis initis interfuerant.
Illis diebus antemurale cecidit portarum monasterii Casinensis.
Tunc nobiles quidam romani ad Imperatorem aput Aquinum ueniunt ex parte senatus, populique Romani; cum quo moram per triduum facientes ad Urbem reuersi sunt.
Tunc etiam iussu imperatoris pro munienda terra Sancti Germani, quod homines terre ipsius ab Imperatore petierunt, domus nonnullae hinc inde ex parte Corarie et Uallis funditus diruuntur.
Imperator de Aquino Soram se contulit, quam suis licet imparem uiribus renitentem, ui cepit III^o stante Octobris in festo apostolorum Symonis et Iude, et facta est cibus ignis, Campanis militibus, qui ad ciuitatis ipsius defensam congregati fuerant, in Campaniam fugientibus per montana, nonnullis ciuium igne ferroque preemptis. Sora ui capitur et concrematur. Uersus:
Ui caperis, ui capta peris merito peritura.
Sora ruis, tua dampna luis, sero reditura.

Arx tamen Sorelle se ad opus tenet domini pape.
Tunc a Taffuro castellano rocce Guillelmi traditus in manus Imperatoris Guillelmus de Sora cum quibusdam aliis, suspensus est extra Soram.
Imperator mense Nouembris per Insulam filiorum Petri redit Aquinum, ubi diem festum celebrat beati Martini.
Magister domus Alamannorum a papa rediens, letos ad Imperatorem rumores defert de compositione inter papam et ipsum. Idemque domino Thome de Capua tituli Sancte Sabine presbytero cardinali obuam in Campania uadit, cum quo ad Imperatorem uenit[Page 164]

Aquinum cum forma concordie, III^o stante mensis Nouembris, et eodem die cum ipso cardinale se contulit aput Sanctum Germanum.
De Romania quidam Greci cum dextrariis in sellis et frenis aureis et cum pannis sericis auro textis, et cum innumeris aureis nummis, que ipsi Imperatori representant pridie ante

exitum mensis Nouembris ad ipsum Imperatorem uenerunt.

Tunc etiam littere facte sunt per Imperatorem de remissione offense, si quam abbas fecerat uel monachi Casinenses post inter ipsum et papam ortam discordiam. Et littere alie ad homines abbatie, ut sicut prius abbati et monachis Casinensibus respondeant et intendunt. Terram totam et loca monasterii ubicumque per Regnum posita Deo et beato Benedicto restituit.

Dictus Albanensis episcopus consilio et suasionem dictorum cardinalis et magistri domus Hospitalis Teutonicorum, permittente Imperatore, cum Aquinate et Aliphanense episcopis, et cum Campanis militibus qui se cum ipsis Albanensi episcopo in Casino receperant, salui exeunt; et tunc reddidit ipsis episcopis suam gratiam Imperator, et monasterium ac tota terra sua cure committitur magistri domus Alemannorum predicti; qui quemdam de domo sua fratrem Leonardum procuratorem constituit nomine suo usque ad reditum suum ab Urbe. Ad quam ipse magister domus Teutonicorum iterum uadit iussu Imperatoris una cum Albanensi episcopo pro quibusdam capitulis, pro quibus inter ipsum et dominum papam discordia erat.

Tunc in Uenafro Sernia et Teano pecuniarie exactiones fiunt, Imperatore mandante.

In Sancto Germano et per totam abbatiam annona pro equis Imperatoris exigitur a camerariis ordinatis ab eo, superius nominatis ab uniuersis clericis terre sancti Benedicti.

Magister Thomas cardinalis de Sancto Germano se mouens, uadit Suessam. Imperator contendit Capuam, ubi cum ingenti gaudio natale Domini celebrat. Et tunc multos de Sora, qui captiui tenebantur ibidem, sue reddidit libertati.

Millesimo CC^oXXX^o. Mense Ianuarii Imperator per quemdam fratrem Sembottum de domo Teutonicorum, mandat dicto fratri Leonardo procuratori Casinensi, relicto a magistro domus Teutonicorum, ut de Sancto Germano et alia terra monasterii XL eligeret homines ad custodiam monasterii Casinensi. Qui iussu Imperatoris eos elegit, sacramento ab eis prestito sub hac forma:[Page 165]

Ego talis iuro ad hec sancta Dei euangelia, quod ab hodie in antea fideliter custodiam, et saluum faciam monasterium Casinense, personas monachorum et aliorum, qui pro parte magistri domus Alamannorum in ea fuerint constituti, et res eorum et monasterii. Non ero in facto consilio uel consensu, qualiter in alterius deueniat manus, nec ego illud reddam, quamdiu custodie deputatum est magistri domus Teutonicorum, et ego ibi mansero.

Imperator de Capua se mouens, uersus Apuliam apud Melphiam uadit, ubi ad eum uadunt Reginus archiepiscopus et dictus Teutonicorum magister a Romana curia redeuntes, qui et iterum missi a Cesare, ad papam uadunt mense Ianuarii.

Mense Februarii, primo die mensis eiusdem, Rome Tiberis fluuius per alluionem usque adeo inundauit, quod occupauit de domibus Urbis usque ad sanctum Petrum et usque ad sanctum Paulum, quod tanti causa timoris Romanis omnibus extitit, ut mox de communi consilio, metu mortis, dominum papam ad Urbem de Perusio reuocarent. Qui rediens, a senatu populoque Romano ingenti cum gaudio est receptus.

Reginus archiepiscopus et magister domus Teutonicorum ab Urbe ad Cesarem reuertuntur, quem apud Precinam inueniunt.

Eodem mense quidam magister Guillelmus de Capua Imperatoris notarius uenit ad Sanctum Germanum cum litteris imperialibus, ut si quis esset uel esse uellet in apparatu militari ad seruitium Imperatoris, ipse Imperator immunem eum ab omni seruitio faceret, et de armis et equis suis esset ad reditum suum.

Mense Martii dictus cardinalis Sancte Sabine de Suessa discedens Gaietam se contulit, ubi tunc episcopus uenerat Tusculanus qui vocauerat ipsum.

Iterum autem predicti Reginus archiepiscopus et magister domus Teutonicorum ad papam redeunt, et alter eorum silicet magister domus Teutonicorum Gaietam uadit, cum quo dictus cardinalis redit ad Urbem. Tusculanus autem tunc uenit Pontemcuruum cum dicto fratre Leonardo. Quique a Pontecuruo Ceperanum uadit, per quos transitum habens Reginus archiepiscopus, ad Urbem profectus est; ubi pro compositione inter papam et Cesarem facienda dux Austrie dux Carinthie et dux Morauie uenerant, simul cum patriarcha Aquilegensi et Salseburgensi archiepiscopo.

Tunc frater Leonardus rocca Draconis castellanum ponit Anneum de Rivo Matricio.

Dictus Tusculanus reuocatur ad Urbem; qui cum tribus aliis cardinalibus et cum principibus Alamannie supradictis pacis bonum inter papam et Cesarem electi specialiter tractauerunt.[Page 166]

Quedam Apulie ciuitates, silicet Ciuitate, Alarinum, Sanctus Seuerus, Casale nouum et Foggia ueniunt ad mandatum Imperatoris, que sibi antea rebelles extiterant et redeunt ad mercedem suam.

Mense Aprilis duces predicti cum Regino archiepiscopo ac magistro domus Teutonicorum redeuntes a papa cum tractatu et forma concordie, in Apuliam ad Cesarem uadunt, ubi cum eo apud Fogiam pascha Domini celebrant.

Decimo die mensis eiusdem, Philippus de Citro comestabulus Capue magister est operis Sancti Germani per Cesarem institutus, et litteras imperiales ad homines terre ipsius et ad alios homines de terra monasterii detulit et mandatum quatenus super facto munitionis terre Sancti Germani sibi intendere et respondere deberent in faciendis muris ubi opus esset turribus et fossatis; exceptis hominibus Sancti Angeli Theodici, quod castrum muniri precipit Imperator.

Gregorius papa in die sancto Iouis Raynaldum dictum ducem Spoleti excommunicat, et Bertholdum fratrem eius.

Stephanus de Anglone Terre Laboris iustitiarius, Imperatore mandante, utramque Insulam

filiorum Petri et Solaratam, Castelluccium et Pastinam recipit, et custodiri facit ad opus Imperatoris Broccum et Pesclum Soldulum destrui et euerti fecit, illorum cogens incolas ad loca alia demigrare, muros euertens Pastine, nec non turres ipsius et predictam Insulam similiter, tamque ipsam Insulam quam castrum Pastine igne combussit. Dux Austrie, Lympuldus nomine, cum patriarcha Aquilegensi et aliis supradictis ab Imperatore de Apulia rediens, et ad papam uadens cum eis, ad Landulfum Casinensem abbatem et conventum eiusdem ex parte Imperatoris litteras detulit in hac forma:

Fre[dericus] et cetera uenerabili abbati Casinensi, et conuentui eiusdem et cetera. Ecce quod ad supplicationem dilecti principis nostri ducis Austrie, et Stirie, ac uenerabilis magistri domus Alamannorum deuoti nostri, recepimus uos de habundantia pietatis nostre in gratiam magestatis nostre, omnem offensam, quam contra nostram excellentiam pro presenti discordia inter nos et dominum papam habita a principio dissentionis usque in hodiernum diem decimum octauum Aprilis iiii^a indictione uisi estis commisisse, penitus relinquentes. Ceterum ea que uobis predictus dux et magister Teutonicorum retulerint ex parte culminis nostri, indubitanter credatis. Datum Fogie, et cetera.

Eodem mense Aprilis in Grecorum imperio factum est prelium inter Grecos, in quo Commiano captus est, et utroque lumine orbatus.

Mense Madii Alamannie principes a papa ad Cesarem redeunt, relicto Regino archiepiscopo, cum quo Sabinensis episcopus et Thomas Sancte Sabine cardinalis pro absolutione Imperatoris in Regnum ueniunt. Et premittentes ad ipsum Imperatorem magistrum domus Alamannorum, qui uenisse cardinales annuntiat, ipsumque Imperatorem ut ueniat uersus Capuam accelerare debeat, cardinales ipsi cum regni prelati, qui a facie Imperatoris fugerant,[Page 167]

et in Regnum sub spe compositionis inter ecclesiam et ipsum redierant, cum eisdem elegerunt aput Sanctum Germanum facere stationem.

Tunc Imperatoris iussu fossata et muri Fogie Casalis noui, et Sancti Seueri replentur, et sternuntur ad solum. Quod cum ipsis cardinalibus innotesceret, qui preuenire Imperatorem uoluerant, uersus Capuam properantes, a Teano ad Sanctum Germanum reuersi, prelatos omnes, excepto abbate Casinense, redire Ceperanum iusserunt, et ipsi se mox cum predicto Casinense abbate, qui eos est e uestigio subsecutus, Capuam contulerunt; ubi penultimo Madii ad eos ueniens Imperator, cum formam non acceptaret concordie, quia Sanctam Agathen et Gaietam retinere uolebat ecclesia, recedentes a Capua, Suessam se conferunt cardinales. Ubi cum Gaietanis loquentes, quos sub securo ducatu abbatis Casemarii magistri Petri de Uinea et Philippi de Citro comestabuli Capue ad se uenire fecerant, cum ipsos ad Imperatoris uota flectere nequiuissent, ad Sanctum Germanum reuersi sunt. Ubi cum diu esset de concordie forma tractatum, nec posset, actore faciente discordie, consumari, oportuit iterum magistrum domus Teutonicorum ad dominum papam simul cum Regino de Lombardia episcopo laborare, qui serio ad Imperatorem uenerat pro pace inter ipsum, et ecclesiam reformanda. Qui cum sine effectu redirent, consequenter ad papam redeunt, et tunc cum eis quidam frater Gualo mittitur de ordine predicatorum forma concordie acceptata; et ipse papa Urbem exiens, uenit aput Cryptam ferratam. Imperator uero de Capua iam uenerat ad Sanctum Germanum, ubi dictus frater Gualo in hora serotina allocutus est ipsum; et ad uerbum illius satisfacere ecclesie annuit Imperator, propter quod in signum letitie in Sancto Germano sunt per omnes ecclesias signa pulsata, et idem frater Gualo ad papam, quem aput Anagniam repperit, sub festinantia remeauit.

Igitur die Martis nono stante Iulio in festo Sancti Apollinaris predicti Sabinensis episcopus et Sancte Sabine cardinalis in maiori ecclesia Sancti Germani, — presentibus patriarcha Aquilegensi, Salseburgensi archiepiscopo, Ratysponensi et Regino episcopis, Carinthie et Moraue ducibus, principibus Alamannie, tunc enim dux Austrie grauiter infirmabatur,[Page 168]

astantibus quoque ibidem Regni prelati, Panormitano, Regino et Barensi archiepiscopis, nec non Casinensi Casemarii et Sancti Uincentii abbatibus et prelati aliis, qui causa metus de Regno secesserant, Raynaldo dicto duce Spoleti, et Thoma de Aquino Acerrarum comite, Henrico de Morra Magistro iustitiario, aliisque Regni iustitiariis, et baronibus, ac plebeis —, de satisfaciendo sancte Romane ecclesie pro hiis, quibus excommunicatus fuerat, recipiunt ab Imperatore publice iuramentum, tunc in anima sua, iurante pro eo Thoma de Aquino Acerrarum comite, et prelati ac principibus Alamannie iurantibus cum eo subscripta capitula. Tunc Salseburgensis archiepiscopus ad Imperatoris excusationem longo tenuit sermone diem, cui dictus Sancte Sabine cardinalis luculenta non minus oratione respondit.

Priuilegium principum Alamannie.

In nomine Domini, Amen. Nos Bertoldus Aquilegensis patriarcha, et [Eberhardus] archiepiscopus Salseburgensis, [Sigifridus] episcopus Ratysponensis, Lympuldus Austrie ac Stirie, [Bernhardus] Carinthie, et Octo Moraue duces, Dei gratia principes imperii, per presens scriptum notum fieri uolumus uniuersis, quod inter sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem nostram et dominam, et serenissimum dominum nostrum Fredericum Imperatorem semper augustum, Iherusalem et Sicilie regem, conuenit, quod de communi eorum uoluntate tractabitur de uia inueniendi, qualiter ad ipsum dominum Imperatorem cum honore ecclesie, Gaietana et Sancte Agathe ciuitates, et omnes cum bonis suis de Regno Sicilie quos in fide sua recepit ecclesia et in ecclesie deuotione perdurant, reuertantur. Ad quem tractatum datus est annus, nisi, antea uia ualeat inueniri, ad quam inueniendam dicta mater ecclesia curam et sollicitudinem adhibere promisit, nec ultra terminus, nisi de consensu partium prorogabitur. Set si, quod absit, infra ipsum terminum uia inueniri non possit, ex tunc per arbitros communiter eligendos procedetur in uia, ut dictum est, eligenda, quorum sint duo ex parte ecclesie, et duo ex parte Imperatoris. Qui si concordare non poterint, quintum eligent, et dicto maioris

partis stabitur. Prestitit autem dominus Imperator iuramentum per Thomam de Aquino Acerrarum comitem de mandato suo in anima sua iurantem, quod interim predictas terras et homines non offendet nec permittet offendi a suis, et uiam, que inuenietur per communem tractatum sancte Romane ecclesie et eiusdem domini Imperatoris, uel per arbitros, ipse dominus Imperator obseruabit.

Notum quoque facimus, quod dominus Imperator remittit omnem offensam Teutonicis Lombardis Tuscis et hominibus Sicilie generaliter, et Gallicis, qui contra eum Romane ecclesie adhererunt, ut dictum Acerrarum comitem fecit iurare, quod nullo unquam tempore predictos offendet nec permittet offendi pro eo, quod contra eum, orta discordia, Romane ecclesie assisterunt, set pacem eis et ecclesie obseruabit. Remittit etiam ipse dominus Imperator sententias constitutiones et banna, si qua per eum uel per alios lata uel edita sunt occasione huiusmodi contra eos. Promittit etiam quod terras ecclesie in ducatu et marchia, seu alio patrimonio ecclesie non inuadet nec deuastabit per se uel per alios, sicut in scriptis ab ipso domino Imperatore factis super predictis omnibus, et bullis aureis impressis et typariis sue maiestatis munitis plenarie continetur. Nos etiam nichilominus tactis sacrosanctis euangeliiis, iurauimus procurare bona fide, quod predictus dominus Imperator predicta seruabit, et contra ea non ueniet. Quod si fieret, nisi infra tres menses in Regnum, infra quatuor in Italiam, infra quinque extra Italiam duxerit emendandum, potenter ac patenter ad requisitionem ecclesie assistemus ei contra eumdem dominum Imperatorem, donec satisfecerit. Quod si per dominum Imperatorem steterit, quod arbitros non elegerit, uel arbitros impediuerit ne procedant, nos ecclesie

[Page 169]

tenebimur, ut est scriptum. Si autem ecclesia arbitros dare noluerit, uel datos impediuerit ne procedant, nos ex tunc, quantum ad hunc articulum non tenebimur iuramento. Ad cuius rei memoriam presens scriptum fieri fecimus sigillis nostris communitum. Actum apud Sanctum Germanum anno Millesimo CC^oXXX^o mense Iulio xxiii^o die mensis eiusdem, Indictione iii^a. Igitur eodem die predicti cardinales uice domini pape dederunt domino Imperatori sub debito prestiti iuramenti firmiter in mandatis, ut restituat quidquid occupatum est per ipsum uel alios ministros suos in marchia uel ducatu, seu in alio patrimonio ecclesie, et quicquid occupatum est per ipsum uel ministros uel baiulos suos de castris seu de possessionibus monasteriorum, et specialiter monasterii sancti Quirici de Introduco, ecclesiarum, Templariorum, Hospitalariorum, baronum et aliorum nobilium de Regno uel undecumque, necnon et ceterorum, qui in hoc negotio contra se Romane ecclesie adhererunt, et quod restituet Tarentinum archiepiscopum, omnes episcopos et prelatos, qui sunt exclusi, ad sedes et loca sua et ad omnia bona extantia.

Item sub eodem iuramento mandarunt, ut de cetero nullus clericus in ciuili uel in criminali causa conueniatur sub iudice seculari, nisi super feudis ciuilitate conueniatur; et quod nullus talleas, uel collectas imponat ecclesiis, monasteriis, clericis et uiris ecclesiasticis, seu rebus eorum, et quod electiones postulationes et confirmationes ecclesiarum et monasteriorum libere fiant in Regno secundum statuta concilii generalis.

Die Mercurii, octauo stante Iulii in uigilia sancti Iacobi rediens a domino papa ad Sanctum Germanum frater Gualo de auctoritate apostolica restitui iussit a cardinalibus in Sancto Germano et tota terra monasterii diuina officia, que per Albanensem episcopum fuerant interdicta; ubique etiam per Regnum mandatum est celebrari diuina, illis exclusis qui in Marchia fuerant cum Raynaldo duce Spoleti.

Traiectum et Sugium cum comitatu Fundano comiti Roggerio de Aquila restituitur, Imperatore mandante.

Landulfo Casinensi abbati monasterium libere restituitur et rocca Ianule, quam, sicut in pactum uenerat, custodiendam commisit fratri Leonardo sepe fato de domo Teutonicorum, qui eam seruandam commisit Raynerio Belegrimi de Sancto Helya, de quo tanquam de fideli Cesaris confidebat, recepto ab eo iuramento, ut fideliter illam custodiat, donec Imperator ipse sit ab excommunicationis uinculo absolutus.

Tunc Teanensis Aliphanus Uenafranus episcopi et prelati alii de Regno exclusi, ad sedes proprias libere reuertuntur.

Imperator ultimo die mensis Iulii de Sancto Germano exiens in hora uestpertina, Aquinum se contulit.

Ea die pestis quedam, que brucus dicitur, totam terram monasterii occupauit, que milia omnia et quidquid uiride rodendo uastauit.

Lympuldu dux Austrie et Stirie die dominico in sexto sanctorum Nazarii et Celsi apud Sanctum Germanum naturali morte defecit; cuius ossa delata sunt more Teutonico in Teutonium, et caro apud Casinum cum honorificentia tumulata.

Mense Augusti die prima Imperator ad roccam Arcis se contulit. Qui tunc castrum

[Page 170]

Pontiscurui et Pedemontis et Castellum nouum restitui mandat abbati Casinensi a dominis Aquini, qui ea seruabant ad opus suum.

Eodem mense littere in Sancto Germano uenerunt, quas quidam magister Iohannes de ciuitate Toleti omnibus per orbem christicolis uulgandas transmisit, quarum tenor talis est: Epistula missa a magistro Iohanne Toletano.

“Anno a natiuitate Domini Millesimo CC^oXXIX^o usque ad annos VII mense Septembris sole existente in Libra et cauda draconis, ibidem erit ammirabilis res rerum mirabilium, et mutationis temporum significantia. In mense illo fiet terremotus mirabilis, et destruet multa loca per Saturnum et Martem manentes in signis aeris, et erit infirmitas et mortalitas ualida. Ostendet etiam eadem coniunctio uentum ualidum denigrantem aera et obscurum reddentem, et uenenis infectum et repletum; et in uento uoces terribiles corda hominum obstruentes, et a regionibus harenosis sablonem subleuans, ac supra ciuitates sitas proximas plagam deducens, et cooperiens eas, ita etiam quod eas suffocabit. Et primo destruet ciuitates

orientales, et nominatim Thetam, Baldach, Capolym, Babiloniam, et omnes ciuitates harenosis locis sitas, uel proximas, ita quod nulla earum euadet quin harenis tota operiatur. Erit iterum eodem anno, prius quam planete conueniant in Libra, enclypsis solis, que totum corpus illius obscurabit, et hac operatione precedente, luna tota patietur enclypsin. Erit enclypsis solis ignei coloris et deformis, ostendens maximum futurum bellum cum effusione sanguinis prope fluuium in terra Orientis, et similiter in terra Occidentis, et erit dubietas et ignorantia inter Sarracenos, ita quod penitus synagogas, maumerias et secreta eorum relinquent. Uerumtamen notum sit omnibus qui enclypsim solis uidebitis, cum omnibus uestris a terra exeatis, et ut hec firmiora et certiora teneatis, antequam enclypsis solis et lune fiat, erit terre motus, mortalitas, fames ualida, prelia et carestia fere per totum orbem, et tunc quidam maximus Imperator morietur. Et mense Septembris post enclypsim solis et lune mare ultra solitum crescet, et omnes fere uenti flabunt, ita quod nulla nauis in mari euadet, arbores euellent, edificia subuertent uenti et terre motus. Unde si uultis euadere, in planis circumdatis montibus facite cooperturas trabium, et terram superponite, que sint longe a plagiis et montanis locis, et ubi non sint arbores prope quibus os cauerne possit operiri; et in eis introite cum familia uestra et rebus necessariis per XXX dies et plus habundanter uobis et familie vestre, et hec ad redemptionem animarum uestrarum ignorantiis denuntiate. In hiis enim nobiscum concordantes sunt omnes astrologi et geomantici Toleti Hispanie, Ethiopie et aliarum prouinciarum diuersarum gentium, christianorum, Sarracenorum et Hebreorum, et omnes philosophi hoc affirmant. Et hoc unum in ueritate scimus, quod rex Mathemelinus turrem facit cum fabrica eminentiorem omnibus fabricis et crossiorem et ampliolem, ad instar maximi montis, ita quod omnes sui habent expensas in ipsa fabrica. Et idem audimus de rege Siclo, que periculosa uidentur". Sabinensis episcopus et cardinalis sancte Sabine die Lune quinto intrantis Augusti recedentes[Page 171]

de Sancto Germano, Ceperanum se conferunt; ad quos uadit ipse Imperator, et exterius castra metatus est, precepitque militibus suis ostentationem facere in equis et armis. Ipso mense Augusti in festo beati apostoli Bartholomei fulgur de celo ueniens, campanile Casinense percussit, et totam eius summitatem proiecit in terram, saluis tamen campanis, que erant in eo. Interea laborantibus hinc inde nuntiis ex parte pape et imperatoris, magistro domus Teutonicorum et principibus Alamannie supradictis, pax est inter ipsum papam, et Cesarem reformata, et quedam arces Regni tradite sunt seruande magistro domus Teutonicorum usque ad certum tempus pro maiori ecclesie firmitate; et tunc Imperator ipse in castris ante Ceperanum, in capella sancte Iuste die Mercurii in festo beati Augustini per Sabinensem est episcopum ab excommunicationis uinculo absolutus. Similiter et omnes sui. Et ultimo mensis Augusti uadit Anagniam locuturus cum papa. Interea suas per totum Regnum generaliter literas pro libertatibus monasteriorum ecclesiarum personarum ecclesiasticarum et rerum illarum dirigit in hac forma:

Epistola.

EFre[dericus] et cetera. comitibus, baronibus, iustitiariis, camerariis, et baiulis in Regno Sicilie constitutis, et cetera. Fidelitati uestre per presentium scripta mandantes precipimus firmiter, ut nullus uestrum monasteriis, ecclesiis, personis ecclesiasticis aut rebus eorum talleas uel collectas presumat imponere, saluis illis seruitiis ad que certe ecclesie uel persone tenentur nobis, specialiter obligate. Datum in castris ante Ceperanum xxiii mensis Augusti Indictionis iii^e. Mittit etiam suos nuntios et litteras ad omnes ciuitates et castra de Marchia que sibi fidelitatem fecerant sub comminatione diffidationis, ut ad fidem redeant Romane ecclesie et mandatum eiusdem.

Mense Septembris, prima die mensis eiusdem qui fuit dies Dominicus, Cesar inuitatus a papa, cum esset in castris in pede Anagnie, magnifice comitatus a cardinalibus et nobilioribus ciuitatis intrauit Anagniam, et eo die cum papa sedit in mensa et solus cum solo, magistro tamen Teutonicorum presente, in papali camera, consilio longo se tenuere diu; et die Lune sequenti cum gratia pape et cardinalium ad castra reuersus est. Tunc Iohanni de Poli concessit comitatum de Albe propter ciuitatem Fundanam, quam abstulit ei, et reddidit eam Roggerio de Aquila, cum toto Fundano comitatu. Tunc etiam abbas Sancti Vincentii[Page 172]

et prelati, qui Imperatori adherentes excommunicati fuerant, ad preces Imperatoris a papa absoluti sunt. Imperator a papa discedens die Mercurii, applicuit die Iouis apud Sanctum Germanum, indeque discedens post prandium, sub celeritate se Capuam contulit exinde uersus Melphiam profecturus. Rex Thessalonicensis obiit Melphie. Prelati, et principes Alamannie in sua recedunt.

Beluacensis episcopus, qui de Gallia uenerat in auxilium ecclesie, per papam dux Spoleti efficitur.

Raynaldus dux Spoleti uadit Introducum, ubi aliquamdiu moram faciens, in Apuliam ad Imperatorem redit.

Mense Novembris Gregorius papa reuocatus a senatore redit ad Urbem. Eodem mense magister Guilielmus de Sancto Germano domini pape capellanus canonice electus in archipresbyterum Sancti Germani assumptus est.

In Apulia Imperatoris iussu capiuntur Mattheus Marchafaber magister camerarius, iudex Philippus de Magdalone, iudex Guillelmus de Salerno, notarius Adam et notarius Iohannes. Tunc pro correctione et honestate uite clericorum generales idem papa per totum Regnum ad metropolitas et eorum suffraganeos litteras dirigit in hac forma:

Epistola.

Gregorius et cetera. uenerabilibus in Christo fratribus archiepiscopis et episcopis per Regnum Sicilie constitutis et cetera. Si cauendum est uobis, ne sanguis subditorum de uestris manibus requiratur, clericorum culpas, que periculose sunt, propter officii dignitatem, non debetis

relinquere incorrectas. Horum enim quanto est gradus altior, tanto grauior casus existit, et excessus ipsorum uehementer in exemplum extenditur dum in excusationem illorum dicitur: "Sufficit discipulo si sit sicut magister eius", sicque per eas facientes delinquere populum, nomen Domini blasphematur, cum non soleant facere, qui sequuntur, nisi quod eos, qui precedunt, uiderint facientes. Licet autem corrigendi sint omnes clericorum excessus, et mores eorum et actus in melius reformandi, specialius est tamen in eis incontinentie uitium exprobandum, cum non deceat per immundos sancta tractari, et fedatos libidine mense Domini ministrare. Unde Abimelech sacerdos Davit legitur respondisse, se ad manus panes laycos non habere, set solummodo panem sanctum, quem mundis pueris, maxime a mulieribus, optulit manducandum. Ut igitur iudicium de domo Domini prodeat, presentium uobis auctoritate mandamus et in uirtute obedientie districte precipimus, quatinus usque ad tres menses clericorum uestrorum, tam incontinentie uitium, quam excessus alios corrigentes, presertim super cohabitatione mulierum eos diligenter et sollicite corrigere studeatis; taliter circa uos ipsos inuigilare curantes, quod commendatione magis quam correctione dignum in uobis ualeat inueniri: *alioquin si qui uestrum, quod non credimus, precepti nostri fuerint contemptores, et tunc*[Page 173]

infra mensem responsuri, nobis de contemptu personaliter ad sedem apostolicam accedere non postponant, attentius precauentes, ne in commissio uobis negotio, que sunt uestra, non que Iesu Christi, queratis, si proprium uultis periculum euitare. Ceterum uos archiepiscopi contra prelatos uestre provincie, et alios qui sunt infecti uitio symonie, cum tales Dominus facto flagello de resticulis de templo eiecisse legatur, ac eos qui ultramontanos sine commendaticiis litteris episcoporum suorum ausi sunt ad ordines promouere, ac eos qui dicuntur incontinentie uitio laborare, inquiratis sollicite ueritatem: et quod inueneritis, nobis infra predictum tempus rescribere procuretis, ut per uestram relationem instructi procedamus, prout uiderimus expedire.

Datum Anagnie v. Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno iiii^o.

Mense Decembris Imperator aput Precinam natale Domini celebrat.

M^oCC^oXXXI^o. Mense Ianuarii suas Imperator litteras mittit ad Stephanum de Anglone Terre Laboris iustitiarum, ut diligenter inquirat de promissis imperiali curie factis, et si qua post transfretationem suam facta sunt concessionum priuilegia per Raynaldum ducem Spoleti, siue suo siue ipsius ducis sigillo signata, aliquibus personis, ea imperiali curie usque ad festum purificationis beate Uirginis precipiat presentari; alioquin ex tunc in antea nullam habeant firmitatem. Precipiat etiam omnibus Rauellensibus, ut uxores et familias suas usque ad festum pentecostes remittant Rauellum sub pena personarum et rerum. Inhibeat etiam omnibus illis, quibus licentia data fuit edificandi occasione orte discordie inter imperium et ecclesiam sub pena predicta, ne in terris aut castris suis edificare presumant. Item mandat generaliter uniuersis, qui de feudis seruire tenentur, tam prelati quam ceteris aliis, ut ana decem feuda conferant, de quibus comes, uel baro, qui decem feudis preerit, et pluribus melior nec non ditior qui inter participes et possessores inuenietur, eligi debeat, et taxari et preparari se debeat in duobus equis, somerio uno et armis, ac ceteris proportionaliter, et habeat pro corredo unius anni uncias L. prefixo termino proximi passagii mensis Martii in portu Brundusii presentandus, ut ab inde secundum suam dispositionem debeat transfretare.

Item ad inquirendum, si qui fuerint a talleis et collectis exempti, siue potentia, prece, pretio, amore, uel timore cuiusquam, mittit iudicem Roggerium de Asculo et I. comestabulum Corneti ut uniuersis et singulis predictorum collectam imponant.

Mense Februarii Imperator uersus Tarentum properat, ubi disponit curiam regere generalem.

Eodem mense nonnulli Paterenorum in Urbe inuenti sunt, quorum alii sunt igne cremati, cum inconuertibiles essent, alii, donec peniteant, sunt ad Casinensem ecclesiam et aput Cauas directi.

Imperator pro capiendis Paterenis aput Neapolym mittit Reginum archiepiscopum, et[Page 174]

Ryccardum de Principatu marescalcum suum, de quibus aliqui sunt inuenti et uinculis mancipati.

Collecta ubique per Regnum iussu imperiali a iudicibus et tabellionibus demani exigitur.

Rex quondam Iherosolimitanus de Francia rediens et de partibus ultramontanis uenit Perusium, ubi uenturum expectat dominum papam, cum quo loqui desiderat, quia non uult se conferre ad Urbem.

Mense Aprilis magister domus Alamannorum de Alamannia ad Imperatorem redit.

Eodem mense Romanorum exercitus super Uiterbium uadit.

In ciuitate Constantinopolitana terremotus magni fuere, per quos ecclesiarum et domorum uastitas magna fuit.

In Apulie finibus et aliis Regni partibus ad destruendam pestem brucorum innumeram generale a Cesare edictum exiit, ut singuli de singulis terris in quibus inualuerat pestis illa, summo mane ante solis ortum deberent capere quatuor tuminos de brucis ipsis, et assignare quatuor iuratis de terra qualibet ad comburendum sub pena unius uncie auri unicuique, si ad hoc negligens fuerit uel remissus; et hoc singulis terris precipi mandauit sub pena C. unciarum auri ad opus fisci imperialis.

Mense Maii dictus Raynaldus dux Spoleti, cum non posset Imperatori sufficientem ponere rationem aut fideiussoriam cautionem prestare, aput Fogiam iussu Imperatoris captus est, et custodie traditus, ac bonorum omnium amissione mulctatus; quare Bertoldus frater ipsius ducis contra Imperatorem in Introduco se recepit.

Eodem mense Romanorum exercitus super Uiterbium uadit, ab hiis de Monte Flascone iuratoria cautione recepta, ne subsidium aliquod illis de Uiterbio conferre deberent.

Reginus Archiepiscopus ab Imperatore nuntius ad papam uadit, et ueniens ad Sanctum

Germanum, inquisitionem facit fieri de infamibus et suspectis.
Mense Iulii primo die circa meridiem, qui erat dies Dominicus, terre motus magnus factus est subito in Sancto Germano et per uicina loca, qui die ipso nonnulla ecclesiarum campanilia, ipsas etiam ecclesias, firmas turres et domos plurimas in ciuitatibus et castellis euerit, qui quod dictu et auditu mirabile est, terre fundamentis concussis limpidos aquarum fontes de Sancto Germano in fecis fetulente colorem mutauit, et talis color aquarum per duas ferme horas durauit, saxa disruptit, propter quod homines timentes uiuos a terra sorberi, in multa contritione et luctu penitentiam agentes, suas Domino pre timore mortis animas commendabant. Terre motus iste intonuit die illo et hora predicta, a Capua usque Romam, et terra mota est. Et tunc de Coliseo concussus lapis ingens euersus est; et quia durauit ultra mensem terre motus huiusmodi, interdum plus interdum minus, attoniti homines, dimissis laribus et locis propriis, ne domorum illos ruina contereret, ad agros exibant. Tunc iussu Landulfi Casinensis abbatis fit ad Casinense monasterium de singulis terris suis processio generalis discalciatis pedibus in fletu et planctu.
Ea die qua terre motus ipse fuit, Gregorius papa Urbem exiens, uadit Reate; ad quem[Page 175]

Barenensis archiepiscopus et magister domus Alamannorum ex parte Imperatoris uadunt, et Mutinensis episcopus a papa ad Imperatorem nuntius destinatur.
Rex quondam Iherosolymitanus aput Reate ad papam uadit, de cuius assensu, ut cum filio Imperatoris Constantinopolitani de filia sua contrahat et ipse sit curator imperii, donec in minori constitutus etate perueniat ad legitimam, mare aput Uenetias intrans uadit collecto exercitu Constantinopolim.
Tunc Imperator domorum omnium Hospitalis et Templi possessiones, que in Regno sunt, et earum fructus iubet capi ad opus suum.
Ryccardus de Principatu marescalcus domini Imperatoris, ipso Imperatore mandante, ut in Syriam transfretet, quos uult de Regno sibi ascivit in socios.
Constitutiones noue, que augustales dicuntur, aput Melfiam, augusto mandante, conduntur.
Mense Iulii inquisitiones fiunt in Sancto Germano et per totam terram Sancti Benedicti per Robbertum de Basso iussu Magistri iustitiarum de compangiis, falsariis, aleatoribus, tabernariis, homicidis, uitam sumptuosam ducentibus, prohibita arma portantibus, et de uiolentiis mulierum.
Exercitus imperialis Introducum, in quo Bertoldus se contra Imperatorem receperat, obsidet et diuastat.
Gregorius papa requisitiones solidorum a militibus et seruientibus Campanie fieri mandat, qui eos in fraudem retinuerunt tempore orte discordie inter ecclesiam, et imperium.
Beluacensis episcopus, cui ducatus Spoleti ab ecclesia est commissus, congregato exercitu, super Spoletum uadit, illam in exterioribus deuastat, nec per hoc Spoletanos ad suam habere potuit uoluntatem; et sic inde discedens supra Mirandam uadit, ubi monete et bulle papalis esse falsarii dicebantur.
Exercitus imperialis ab Introduco discedit.
Reatini iussu pape super Mirandam uadunt.[Page 175]

Barenensis archiepiscopus et magister domus Alamannorum ex parte Imperatoris uadunt, et Mutinensis episcopus a papa ad Imperatorem nuntius destinatur.
Rex quondam Iherosolymitanus aput Reate ad papam uadit, de cuius assensu, ut cum filio Imperatoris Constantinopolitani de filia sua contrahat et ipse sit curator imperii, donec in minori constitutus etate perueniat ad legitimam, mare aput Uenetias intrans uadit collecto exercitu Constantinopolim.
Tunc Imperator domorum omnium Hospitalis et Templi possessiones, que in Regno sunt, et earum fructus iubet capi ad opus suum.
Ryccardus de Principatu marescalcus domini Imperatoris, ipso Imperatore mandante, ut in Syriam transfretet, quos uult de Regno sibi ascivit in socios.
Constitutiones noue, que augustales dicuntur, aput Melfiam, augusto mandante, conduntur.
Mense Iulii inquisitiones fiunt in Sancto Germano et per totam terram Sancti Benedicti per Robbertum de Basso iussu Magistri iustitiarum de compangiis, falsariis, aleatoribus, tabernariis, homicidis, uitam sumptuosam ducentibus, prohibita arma portantibus, et de uiolentiis mulierum.
Exercitus imperialis Introducum, in quo Bertoldus se contra Imperatorem receperat, obsidet et diuastat.
Gregorius papa requisitiones solidorum a militibus et seruientibus Campanie fieri mandat, qui eos in fraudem retinuerunt tempore orte discordie inter ecclesiam, et imperium.
Beluacensis episcopus, cui ducatus Spoleti ab ecclesia est commissus, congregato exercitu, super Spoletum uadit, illam in exterioribus deuastat, nec per hoc Spoletanos ad suam habere potuit uoluntatem; et sic inde discedens supra Mirandam uadit, ubi monete et bulle papalis esse falsarii dicebantur.
Exercitus imperialis ab Introduco discedit.
Reatini iussu pape super Mirandam uadunt.[Page 176]

Mense Augusti de mandato imperiali per totum Regnum seta cruda emi prohibetur, similiter sal, ferrum, et es emi non nisi a doana imperiali mandantur.
Serra super Celanum firmata iussu imperiali diruitur.
Eodem mense magister domus Alamannorum in Lombardiam uadit.
Constitutiones imperiales Melfie publicantur.

Mense Septembris apud Sanctum Germanum, sicut per totum Regnum, pondera et mensura mutantur, ponuntur rotuli, et tumini. Tinctorias omnes de Regno ad opus fisci imperialis recipi precepit Imperator, et super hoc suas mittit litteras generales. Quas cum Iudei pro Iudea Sancti Germani recipienda detulerint, ipsam Reginus archiepiscopus capi prohibuit, mandans ipsis Iudeis, ut ipsam in pacem dimittant monasterio Casinensi. Mense Octobris Marinus Carazulus miles Neapolitanus cum filio Annei de Rivo Matricio uenientes ad Sanctum Germanum cum litteris imperialibus et mandato pro reparatione castrorum imperialium, requirebant Casinensem abbatem ex parte Cesaris, ut homines terre monasterii mittere deberet ad muniendum Atinum, castrum Celii, roccam Bantre, et roccam Guillelmi.

Mense Novembris Romani, comperto quod Imperator in eorum odium Uiterbium receperat, et ad ipsius ciuitatis auxilium miserat quemdam Raynaldum de Aquaiua capitaneum, et de gente sua cum eo pro tuenda re publica magnam pecunie quantitatem ecclesiis Urbis in odium pape imponunt.

Mense Decembris Imperator apud Ravennam natale Domini magnifice celebrat et eo die licentiam dedit omnibus de Regno, qui secum iuerant, in propria reuertendi.

Nummi aurei, qui Augustales uocantur, de mandato Imperatoris in utraque sycla Brundusii et Messane cuduntur.[Page 177]

M^oCC^oXXX^oII^o. Mense Ianuarii Prenestinus episcopus et dominus Oddo cardinalis ex parte pape legati ad Imperatorem uadunt; et eo mense Thomas de Aquino, qui cum Imperatore iuerat, ipso Imperatore mandante, redit in Regnum, Regni capitaneus institutus. Qui ad Sanctum Germanum ueniens, Taffurum quemdam ciuem Capue in rocca Ianule, quam usque tunc Ryccardus de Guerra per fratrem Leonardum de domo Teutonicorum seruauerat, et posuit castellanum.

Henricus de Morra magister Iustitiarius ad Sanctum Germanum ueniens, inquisitiones dudum ibidem factas iussu imperiali per Robbertum de Busso, baronem de comitatu Molisii, aperiri iussit et publicari, unicuique infamatorum exhibens libellum sue infamie et nomina infamantium illos; quod causa fuit magne discordie inter ipsos, et odii magni fomitem ministravit.

Tunc de mandato ipsius Acerrarum comitis sex electi sunt in Sancto Germano, qui iurauerunt dare Philippo de Citro comestabili Capue fidele consilium et auxilium, qualiter munitio terre Sancti Germani celeriter compleatur. Qui habito consilio prouiderunt munitionem ipsam per homines Sancti Germani, et alterius terre monasterii in partes debere distribui; sicque factum est, et pars operis quibuslibet assignata.

Tunc etiam mandato dicti comitis et Magistri Iustitiarii, baiuli imperiales, qui Cauarrecti uocantur, per dominum Hectorem de Monte Fusculo, tunc Terre Laboris Iustitiarium, de Sancto Germano et tota terra monasterii amouentur.

Mense Februarii in Sancto Germano Constitutiones imperiales, que Augustales uocantur, publicate sunt, quarum initium est:

Post mundi machinam providentia diuina firmatam; de quibus has inter alia elegi huic operi inserendas:

Fre[dericus] augustus de fide mercatorum.

Magistros mechanicarum artium, quorum operis et operibus homines carere non possunt, legaliter et fideliter sua opera exercere debere iubemus. Aurifices s[cilicet] qui in auro et argento[Page 178]

laborant, sellarios, scutarios frenarios atque lormerios, caldararios, fabros, qui eris et ferri quecumque opera faciunt. Balistas etiam facientes ac arcus et generaliter omnes artifices, cum fide et studio, prout unusquisque artificium melius nouerit, uolumus operari. Specialiter autem scutariis et sellariis iniungimus, ut emptores certiorare fideliter debeant, utrum argento uel stanno superposito sint picture, et quod sellas et scuta munire debeant necessariis guarnimentis.

Boccerios autem et piscium uenditores, qui uite hominum necessaria sumministrant, et ex quorum fraudibus posset non tantummodo rebus set et personis etiam maximum dampnum inferri in eorum mercibus et mercationibus, uolumus esse fideles, uidelicet ut scrofas pro porcis, uel carnes morticinas, uel ab uno die in alium reseruatas, si hec emptoribus non predixerint, seu qualitercumque corruptas uel infectas, in dampnum et deceptionem emptorum uendere non presumant. Uenditores etiam piscium in corruptis piscibus non uendendis aut ab uno die in alium reseruatis, sine predictione similiter fidem precipimus obseruari; et ut predicti omnes et singuli superius nominati, rerum uitium uendendarum ex fide predicant; et ut cibos pridie preparatos et in die altera calefactos, similiter sine predictione non uendant. Uenditores etiam candelarum eas fideliter faciant, nec in eis in emptorum dispendium aliquid cere ammisceant, nec in eis nisi bombicinum papirum apponant, uel si aliter fecerint exinde emptores coercere curabunt.

Tabernariis autem et uenditoribus uini quibuslibet prohibemus ne uendere presumant uinum lymphatum pro puro. Nullus in Regno nostro laboret aurum, quod per libram de puro teneat minus quam octo uncias; similiter et argentum quod minus xi unciarum puri argenti, per libram tenere noscatur. Quod optinet, siue uenale opus huiusmodi aurifices pro se faciant, siue ab alio recepta materia opus fingant, ut anulos, fibulas, parapsydes uel cuppas aureas sive argenteas, in quibus aliquid ultra predictam quantitatem et formam a predictis dominis ammisceri petatur. Et ut omnis artificibus ipsis committendarum fraudum uia et materia precludatur per loca quelibet duos eligi uolumus fide dignos, per terre baiulos ordinandos, quibus imminentibus predicta omnia in statu conservari debeant et debite executioni contradi, ac per eos artificum fraudes nostre curie nuntientur; quorum officialium nomina per litteras sub sigillo, et subscriptionibus eligentium eos, et eorum, qui in hiis consilium dederint, eligendis, ad nos uel locorum dominos uolumus destinari, ut ex approbatione nostra et aliorum quorum intererit retineantur ydonei, et non ydonei refutentur, in eorum locum qui minus ydonei fuerint in subscripta forma

ydoneis subrogandis. Quos officiales, ut officium sibi creditum fideliter et diligenter exerceant, tactis sacrosanctis euangelii sacramenti religione uolumus obligari. Electorum etiam nomina predictorum in quaternionibus nostre curie uolumus contineri, ut de eis dubitatio in posterum oriri non possit. Statuimus etiam constitutione presenti, ut baiuli nostri, qui pro tempore fuerint, operariorum operas, et uindemiatorum messorum et similium, sub certa mercede constituent, cuius constitutionis metam transgredi operariis non licebit; quam si transgressi fuerint, et acceptam mercedem amittant, et quadruplum Curie nostre soluent. Et ut fraudes artificum singulorum pena non careant, si contra prohibitionem et ordinationem nostram in eorum artificii inuenti fuerint dolose uersari, prima uice deprehensus in dolo falsa opera faciens, uel cibaria prohibita seu corrupta, uel uinum lymphatum pro puro uendendo, libram auri purissimi fisco nostro componat; quam si propter inopiam dare non poterit, fustigetur. Iterato deprehensus *in simili, manum perdat; tertio deprehensus talia perpetrare, in furcis mortis periculum*[Page 179]

subeat, quod iusto iudicio meruit illicita committendo, et non corrigendo commissa. Eadem pena prefectis officialibus imminente, si prece uel pretio, aut amore seu timore corrupti, delinquentium mercatorum uel artificum Magne Curie nostre uel regionum iustitiariis commissa neglexerint nuntiare.

Idem Augustus. Mercatores quoslibet Regni nostri, sub eisdem ponderibus et mensuris magnis uel minimis, et sub eisdem cannis, quas ipsis Curia nostra dederit, uendere uolumus merces suas; ita tamen, ut ex mensuris maioribus in iure, quod ex eis Curie nostre uel cuilibet loci domino debebatur, nullum collatoribus dampnum uel preiudicium afferatur, et pro portione prioris minoris mensure diligenter attentata, non plus soluatur, nisi quantum primitus soluebatur. Illud etiam presenti constitutioni nostre coniungimus, ut uendentes pannos in posterum ipsos ultra non abstrahant, nisi quantum et quatenus canna protenditur, set sine abstractionis aliqua uiolentia, sicut melius cum emptore conuenire poterunt, nulla alia fraude uel machinatione adhibita, pannos ipsos uendere procurabunt.

Idem Augustus. Ad legitima pondera et mensuras merces quaslibet uendere uolumus uenditores. Quicumque autem falsitatem et fraudem aliam in mensuris atque ponderibus uel cannis inuentus fuerit commisisse, aut qui pannos abstraxerit, unam libram auri purissimi fisco nostro componat; quam si dare non poterit, condemnatus cum pondere seu mensura ad collum eius appensis in sui penam aliorumque exemplum per terram, in qua fraudem commisit, publice fustigetur, manu ei si secundo deprehensus fuerit amputanda; et si tertio iterauit perpetrata, ipsum suspendi iubemus.

Idem Augustus. Penam contra mercatores corruptas merces uendentes et uetitas, seu ad falsas mensuras et cannas et pondera distrahentes nostris constitutionibus prestatas in peregrinis deceptis ab eis uolumus duplicari; defensionem etenim et scientiam nostram succedere uolumus loco imbecillitatis et ignorantie predictorum.

De medicis et medicinis: Utilitati speciali prospicimus cum communi saluti fidelium prouidemus. Attendentes igitur graue dispendium et irreparabile dampnum, quod posset contingere ex imperitia medicorum, iubemus in posterum nullum medici titulum pretendente audere praticari aliter uel mederi nisi Salerni primo in conuentu publico Magistrorum iudicio comprobatus de fide et sufficienti scientia cum testimonialibus eorum litteris tam Magistrorum quam ordinatorum nostrorum, ad presentiam nostram uel alterius qui nobis a Regno absentibus in Regno remanserit uice nostra, ordinatus accedens, a nobis uel ab eo medendi licentiam consequatur, pena bonorum suorum et annalis carceris imminente hiis, qui contra nostre serenitatis edictum ausi fuerint in posterum praticari.

In terra qualibet Regni nostre dicioni subiecta duos circumspectos et fide dignos uolumus ordinari, et corporali ab eis prestito sacramento teneri, quorum nomina ad Curiam nostram mittentur, sub quorum testificatione electuaria sciropi et medicine legaliter fiant, et sic facta uendantur; Salerni maxime per Magistros in phisica hec uolumus approbari. Presenti etiam lege statuimus, ut nullus in medicina uel in cyrurgia nisi aput Salernum regat in Regno, nec Magistri nomen assumat, nisi diligenter examinatus in presentia fidelium et Magistrorum artis *eiusdem. Conficientes etiam medicinas, sacramento corporaliter prestito uolumus obligari, ut*[Page 180]

ipsas iuxta artis et hominum qualitates in presentia iuratorum conficiant; qui si contrauenerint, bonorum suorum mobiliu sententia condemnentur. Ordinati uero, quorum fidei sunt predicta commissa, si fraudem in credito ipsis officio commisisse probentur, ultimo supplicio feriendos censemus.

De aleatoribus: Mores dissolute uiuentium impositae pene formidine ad frugem melioris uite reducere cupientes, statuimus, eos qui ad datios ex quadam consuetudine ludunt, et in ludo ipso continue conuersantur, ut nulli alii uacent officio de quo uiuant, tabernarios etiam qui tabernas uelut natales lares et proprios elegerunt, eos etiam qui aleas et datios tenent ut ea predictis ludentibus commodent, uolumus inter infames haberi, ita ut nec ad testimonium nec ad officium aliquod publicum admittantur. Iudices etiam et advocatos et notarios publicos, qui huiusmodi uilem et sordidam uitam ducunt, infamia predicta notatos a susceptis etiam iam officiis in perpetuum amoueri. Postremo etiam milites, quos saltem equestris dignitatis decus deberet a talibus cohercere, si fame sue prodigi et pudoris ignari ad uilitatem huiusmodi deduxerint uitam suam, in perpetuum a testimonio summouemus, ab eis etiam iudicia, que uiris militaribus sunt concessa, in perpetuum abdicantes.

De dampnis: Animalia in uineis et possessionibus cuiuslibet dampnum facientia intercepta locorum baiulis seu dominis, ut per eos illati dampni restauratio subsequatur, sufficiat assignari; constitutione regia, que ipsa regionum iustitiariis assignari mandabat, in hac parte remota, cum dispendium esset forte non modicum prouinciam circuire, nec iustitiiarii de talibus, etiam prout predecessorum nostrorum et nostris constitutionibus est expressum, intromittere se deberent. Idem Augustus. Constitutiones presenti in posterum ualitura sancimus, ut amodo ad

militarem honorem nullus accedat qui non sit de genere militari sine nostre celsitudinis licentia speciali; militibus, qui hactenus post prohibitionem diue memorie regis Rogerii aui nostri dignitatem fuerunt militarem adepti, ex serenitatis nostre gratia suam retinentibus dignitatem, dummodo uiuant militariter ut est dictum. Presenti etiam edicto illud adiungimus, ut iudex uel notarius publicus aliquis qui uilis conditionis sit, uillanus aut angararius forsitan, itemque filii clericorum spurii, uel modo quolibet naturales, in posterum creari non possunt, nec nullatenus promoueri.

Idem: Instrumentorum robor et sollempnitatem augentes, ut de ipsorum fide nulla in posterum dubitatio possit oriri, statuimus, si quantitas que in contractu deducitur infra libram auri subsistat de mobilibus et immobilibus rebus, aut quibuslibet causis, in instrumento duo testes bone et probate opinionis subscribant preter iudicem et notarium; si vero libram auri excedat tres testes probate fidei preter iudicem et notarium, ut est dictum, in eodem instrumento subscribant; qui debent, ut dictum est, esse omni exceptione maiores, et scientes litteras in locis in quibus litterati poterunt inueniri. Alioquin alii etiam assumantur. Contra predictam autem formam instrumenta confecta in posterum nullam habeant firmitatem. Illa tenaciter obseruando, ut in aliquo locorum nostri demanii clerici cuiuscumque ordinis, iudices et notarii *nullatenus assumantur*.

Mense Martii Imperator a Rauenna in Aquilegiam per mare uadit, ubi filium suum Henricum Alamannie regem uenturum expectat.[Page 181]

Munitio terre Sancti Germani ut citius fiat per dominum Philippum de Citro cum consilio iuratorum terre eiusdem per homines terre monasterii distribuitur.

Inquisitiones ab archiepiscopis fiunt de suffraganeis episcopis, papa mandante, et ab episcopis de clericis suis, si caste uiuant et continenter, et ut cessent prorsus a cohabitatione mulierum.

Domus quedam in Coraria et Ualle redimuntur, ut non diruantur, prout statuerat Imperator, et date sunt Philippo de Citro uncie auri CC, de quibus partem misit pro solidis obsidentium Introducum, et partem reliquam Curie imperiali persoluit.

Soldanus Damasci pretiosa mittit exenia Imperatori per quosdam nuntios suos in Apuliam uenientes.

Mense Aprilis Thomas Acerrarum comes aput Sanctum Uitum de Melfa baronum et militum exercitum congregat, quos Introducum mittit contra Bertoldum fratrem Raynaldi dicti ducis Spoleti, qui se in eo contra Imperatorem receperat.

Romani super Uiterbium uadunt.

Gregorius papa de Reate aput Interampnes uadit, et inde uadit Spoletum; qui generales ad Regni prelatos litteras dirigit, ne quis eorum officialibus Imperatoris, occasione defendendi patrimonium ecclesie ipsos grauare uolentibus, respondeant, et intendant.

Landus Reginus archiepiscopus in Messanensem eligitur.

Iohannes de Baruch ciuitatem Acconitanam recipit in odium Imperatoris. Mense Madii Romani de Uiterbio ad Urbem redeunt.

Imperator ab Aquilegia per mare redit in Apuliam, seque aput Melfiam contulit; ad quem mox Magister iustitiarius et dictus Acerrarum comes accedunt. Ad papam nuntius, ex parte Imperatoris magister Petrus de Sancto Germano dirigitur.

Eodem mense Iohannes Baruch cum marescalco Imperatoris congregiens in partibus Sirie, ipsum deuicit in campo et multos cepit ex suis.

Aput Spoletum Gregorius papa quemdam fratrem Antonium de ordine fratrum Minorum canonizauit, et sanctorum catalogo mandauit ascribi.

Mense Iulii quidam Thomas de Pando ciuis Scalensis nouam monetam auri, que Augustalis dicitur, ad Sanctum Germanum detulit distribuendam per totam abbatiam et per Sanctum Germanum, ut ipsa moneta utantur homines in emptionibus et uenditionibus suis, iuxta ualorem[Page 182]

ei ab imperiali prouidentia constitutum, ut quilibet nummus aureus recipiatur et expendatur pro quarta uncie, sub pena personarum et rerum in imperialibus litteris, quas idem Thomas detulit, annotata. Figura Augustalis erat habens ab uno latere caput hominis cum media facie, et ab alio aquilam.

Uiterbienses castrum quoddam, quod Uetorclanum dicitur, quod Romani tenebant, proditorie occupant et euertunt, quibusdam qui euaserant de castro ipso conferentibus se ad Urbem, aliis Uiterbium secedentibus.

Mense Iulii Gregorius papa redit Reate. Romani in odium pape ueniunt usque ad Montem Fortinum intrare Campaniam disponentes; ad quos tres ex parte pape uenientes cardinales, facta cum eis compositione per interuentum pecunie, Romam reuersi sunt. Roggerius de Aquila Fundanus comes obiit, qui habitum suscipiens monachalem, apud Fossam nouam sepeliri elegit. Terram ipsius, uidelicet Fundos, Traiectum et Sugium, recipi ad opus suum precipit Imperator per Hectorem de Monte Fusculo iustitiarium et per Philippum de Citro. Gyffridus filius comitis ipsius ad papam se contulit, turre Ytri se tenente pro ipso, que tandem studio Philippi de Citro ad opus Imperatoris recepta est. Imperator pro succursu ciuitatis Acconitane, quam Iohannes de Baruch occupatam tenebat, parte ciuitatis se pro Imperatore tenente, exercitum congregat militum et baronum.

Mense Augusti Gregorius papa in Campaniam redit, et aput Anagniam festum celebrat assumptionis beate Uirginis.

Imperator congregatum Brundusii exercitum reuocat, et ipso mandante quilibet sunt in sua reuersi.

In Sicilia aput Messanam contra Imperatorem seditio orta est occasione Ryccardi de Montenigro per Imperatorem iustitiiarii in Sicilia constituti, quem ciues dicebant contra eorum facere libertatem.

Decretales corriguntur a Gregorio papa, resecando superflua, et utilia retinendo. Bartholomeus de Sancto Germano domini pape capellanus, papa mandante, Gaietam uadit pro compositione inter Imperatorem et Gaietanum facienda, ut redeant ad fidelitatem ipsius, quod cum facere non posset, apud Sanctum Herasmum secessit, et ibi usque ad mandatum domini pape elegit facere stationem.[Page 183]

Mense Septembris Imperator a Melfia uenit Fogiam, et generales per totum Regnum litteras dirigit, ut de qualibet ciuitate uel castro duo de melioribus accedant ad ipsum pro utilitate Regni et commodo generali, ad quem pro terra Sancti Germani iuit Roffridus de Monte miles.

Fodrum de Regno iussu Imperatoris apud Anagniam mittitur ad dominum papam.

Mense Octobris in Sancto Germano huiusmodi sunt imperiales Ascisie publicate.

Ciues in terris eorum pro mercibus suis quas intromittent uel extrahent nichil soluent, nisi quod olim soluebant. De pomis, castaneis, nucibus, auellanis, et aliis fructibus in iure Curie seruabitur forma antiqua. Ius coriorum pro conzatura dimittitur in forma antiqua. Factum canapis omnino remittitur. Uendentibus uinum, siue ad minutum siue ad crossum, nichil requiritur, set in eis seruabitur forma antiqua. Statera erit in fundicis, et nichil recipietur pro ea, nec amplius pro cantaro quam grana iiii. Pro herbatico animalium, uenditione equorum et aliorum animalium similiter seruabitur forma antiqua. A piscatoribus nichil requiritur, nisi secundum formam antiquam. Pro iure mensurarum uictualii tam in sauma quam in tuminis seruabitur forma antiqua. De iure casatici remissa sunt grana iii pro uncia, ita quod mercatoribus qui erunt pro eis, prouidebitur a custodibus fundaci in lectis, luminaribus palea et lignis. De iure bucceriorum pro boue, uel uacca remittuntur grana iii, pro porco grana iii, pro ariete grana ii, pro agno grana ii. De tunninis, et sardellis seruabitur forma antiqua. De iure lini idem, de iure cannarum idem, de lana Syrie idem, de bambace similiter, *et de arcu coctonis idem.*[Page 184]

Eodem mense Egidius Uerracclus domini pape subdiaconus et capellanus pro facto Gaiete a papa ad Imperatorem nuntius in Apuliam uadit.

Mense Nouembris de communitatibus Lombardie pro compositione cum Imperatore facienda legati apud Anagniam ueniunt ad dominum papam.

Mense Decembris pro facto Lombardorum, Henricus de Morra Magister iustitiarius ab Imperatore ad papam nuntius mittitur, cum quo uadunt magister Petrus de Vineia, magister Petrus de Sancto Germano, et magister Benedictus de Sernia, ut cum Magistro iustitiario coram papa pro parte Imperatoris ius ipsius ostenderent.

M^oCC^oXXXIII^o. Mense Ianuarii Henricus de Morra Magister iustitiarius a papa ad Imperatorem in Apuliam redit, quem subsecuti sunt Landus Messanensis archiepiscopus cum Regino episcopo nuntii ad Imperatorem a papa directi. Imperator omnibus generaliter prelati, comitibus, baronibus, militibus tam feudatis quam non feudatis mandat, ut ad se cum toto seruitio quod facere tenentur apud Policorum, in futuris kalendis Februarii accedere sint parati. Tunc iussu Imperatoris Lucerium ciuitas Sarracenorum firmatur. Troie menia diruuntur.

Imperator mense Februarii se de Apulia in Calabriam confert.

Magister Iohannes de Sancto Germano, Guillelmo eiusdem ecclesie archipresbytero sponte cedente, in archipresbyterum Sancti Germani assumitur.

Castella in Trano, Baro, Neapoly et Brundusio iussu Imperatoris firmantur.

Mense Martii senator cum nonnullis de maioribus Urbis ad papam apud Anagniam uadit, quorum inductus precibus, cum quibusdam ex cardinalibus ad Urbem redit, ubi cum honore maximo Romanorum receptus est, et pars reliqua cardinalium apud Anagniam remansit.

Magister Thomas Cardinalis de mandato pape cum apud Uiterbium uadit pro compositione inter Romanos et Uiterbienses facienda.

Mense Aprilis die Lune XXV^o mensis eiusdem circa meridiem in festo scilicet beati Marci euangeliste, aeris serenitate mutata, que multa erat, tanta subito tempestas inhorruit et inundacio[Page 185]

facta est pluuiarum de supernis ueniens montibus, ammixta grandinibus, ad Sanctum Germanum, quod domos nonnullas in ualle repleuit alluuio et domorum utensilia, oleum, et uictualia multa secum fluendo deduxit. Saxa etiam de montibus tam grandia mouit, quod ea trahere multa bouum paria non ualerent.

Raynaldus dictus Spoleti dux mandato Imperatoris ducitur apud Introducum sub custodia ab Henrico de Morra Magistro iustitiario, ut idem dux castrum ipsum reddi faciat Imperatori a Bertoldo fratre suo qui illud tenebat; quod facere idem Bertoldus ad interuentum Messanensis archiepiscopi repromisit.

Pax inter Romanos, et Uiterbienses reformata est.

Imperator Messanam intrat, et de quodam Martino Mallone, qui caput fuerat mote seditionis in populo, et eius complicitibus sumpsit debitam ultionem, de quibus quosdam suspensio et quosdam incendio condemnauit.

Mense Madii pro seruitio militum LX et seruientibus ducentis, in quibus ab abbate Casinensi sibi seriri debere Imperator dicebat, collecte sunt de terra monasterii uncie CCCC^{te}.

Florentinates super Senas uadunt post prohibitionem pape, propter quod eorum ciuitas sub interdicto posita est, et ipsi excommunicationis sunt uinculo innodati.

Mense Iunii de quodam sancto Uirgilio miracula multa in scriptis redacta de Alamannia missa sunt ad dominum papam.

Eodem mense quidam frater I. uili contactus tegmine, tamquam de ordine fratrum Minorum, ad Sanctum Germanum ueniens, cum cornu quodam conuocabat populum, et alta uoce

cantabat tertio Alleluia, et omnes respondebant: Alleluia; et ipse consequenter dicebat: *Benedictu* laudatu et glorificatu lu Patre; *Benedictu* laudatu et glorificatu lu Fillu; *Benedictu* laudatu et *glorificatu lu Spiritu Sanctu, Alleluia. Gloriosa Donna.* Hoc idem alta uoce respondentibus pueris, qui erant presentes.

Imperator castrum quoddam in Sicilia quod Centurbium dicitur, sibi rebelle ui cepit et destruxit, et incolas ad loca compulit alia demigrare.

Mense Iulii Bertoldus Introducum Magistro iustitiario resignauit, et ipse cum duce fratre suo assecuratus abiit extra Regnum, quo uoluit.

Ciuitas Gaiete ad mandatum redit Imperatoris, et iuramentum fidelitatis sibi prestat et Conrado filio eius. Ad quam Hector de Monte Fusculo iustitiarius Terre Laboris accedens iussu Imperatoris doanam instituit in ea, et consulatu priuauit eandem.[Page 186]

Imperator de Sicilia suas ad eundem iustitiarium et alios iustitios Regni litteras dirigit super molestiis et iniuriis prelatorum, ut ipsi statuto die et loco prelatos ad se conuocent regionum, audiant eorum clamores, et que iuste poterunt expedire, expediant, reliqua uero per suos nuntios sibi significant fideliter et distincte, ut de ipsorum correctionibus provide ipse disponat. Item alias ad Casertanum episcopum litteras mittit pro inquisitione faciendis heretice prauitatis, ut tam paterenos quam eorum fautores quos inuenerit huius criminis reos, sub suo et iustitiarum Terre Laboris testimonio sibi debeat intimare.

Gregorius papa Urbem exiens, uenit Anagniam.

Mense Augusti ad mandatum Hectoris de Monte Fusculo iustitiarum Terre Laboris apud Teanum prelati isti conueniunt in die ab eodem iustitiario constituto, scilicet Casertanus, Caluensis, Calinensis, Uenafanus, Aliphanus et Nolanus; set nullus eorum se molestiam uel iniuriam passum fuisse ab aliquo officialium conquestus est.

Eodem mense mandatum de diruendo burgo Capue ad Magistrum iustitiarium a Cesare emanauit.

Hector de Monte Fusculo per Imperatorem a iustitiariatu amouetur et Stephanus de Anglone substituitur illi.

Iudex Petrus de Telesia inquisitionem facit in abbacia de hominibus demanii imperialis, quorum parentes, et aui de terris demanii originem duxerant, et eorum nomina redegit in scriptis, ut de illis, quod sibi beneplacitum fuerit, faciat Imperator.

Mense Septembris Thomas de Aquino Acerrarum comes mandato Imperatoris in Lombardiam uadit ad ciuitatem Cremone, que fauet Imperatori.

Mense Octobris cardinales qui se Reate contulerant, reuocati a papa ad Urbem redeunt.

Mense Nouembris Gregorius papa de Anagnia redit ad Urbem.

Imperator diem natalis sui per totum Regnum suum mandat in festo beati protomartyris[Page 187]

Stephani magnifice celebrandum; qui mense Decembris fuit ab hominibus Sancti Germani ad ipsius Imperatoris honorem magnifice celebratus, ita quod pauperes ultra quingentos manducauerunt, et saturati sunt nimis pane, uino et carnibus in platea publica.

Imperator apud Syracusiam statuit in Curia generali, ut nulli amodo liceat de filiis et filiabus Regni matrimonia cum extersis et aduentitiis, qui uel que non sint de Regno, absque ipsius speciali requisitione mandato seu consensu Curie sue contrahere, uidelicet ut nec aliqui de Regno nubere alienigenis audeant, nec aliqui alienigenarum filias ducere in uxores, pena apposita omnium rerum suarum.

Millesimo CC^oXXXIII^o mense Ianuarii, apud Messanam ipse Imperator regens Curiam generalem, statuit in septem Regni partibus per annum generales nundinas celebrandas, mandans ut in singulis prouinciis in quibus erunt nundine constitute, quamdiu nundine ipse durauerint, nullus mercator uel ministerialis alibi cum mercibus et rebus uenialibus quam in loco nundinarum inueniri presumat. Prime nundine erunt apud Sulmonam, et durabunt a festo Sancti Georgii usque ad festum inuentionis Sancti Archangeli. Secunde erunt Capue, et durabunt a XXII. Madii usque ad octauam Iunii. Tertie erunt Lucerii, et durabunt a festo beati Iohannis Baptiste usque ad octo dies. Quarte erunt apud Barum, et durabunt a festo Magdalene usque ad festum sancti Laurentii. Quinte erunt Tarenti, et durabunt a festo sancti Bartholomei usque ad festum natiuitatis beate Uirginis. Sexte erunt Cusentie, et durabunt a festo beati Matthei usque ad festum beati Dyonisii. Septime erunt Regii, et durabunt a festo sancti Luce usque ad festum omnium sanctorum in kalendis Nouembris. Statuit etiam ipse Imperator apud Messanam bis in anno in certis Regni prouinciis generales Curias celebrandas, in quibus licebit quibuslibet contra Magistrum iustitiarium iustitios et quamcumque aliam personam suam querimoniam instituere, ut omnes suam iustitiam assequantur; et ibi erit pro parte Imperatoris nuntius specialis, qui omnium querelas in scriptis rediget, et eas imperiali Curie presentabit sub suo et quatuor bonorum uirorum ecclesiasticorum sigillis signatas. Clamores tamen contra eos factos, qui officiales non sunt, decident iustitiarum regionum. Hiis Curii, bis in anno, ut dictum est celebrandis, intererunt quatuor de qualibet magna ciuitate, de melioribus terre, bone fidei et bone opinionis, et qui non sint de parte; de aliis uero non magnis et de castellis duo intererunt curiis ipsis. Prelati uero locorum, nisi certam habeant excusationem quod interesse non possint, similiter intererunt eisdem Curii, et durabit Curia per octo dies, in quibus nisi expediri negotia ipsa poterunt, prorogabitur in dies quindecim. Qui autem intererunt, loco prelatorum qui interesse non poterunt denuntiabunt, si qui sunt in eorum prouincia patereni uel heretica prauitate infecti, ut seueritate debita puniantur. Loca autem, in quibus Curie statute sunt, sunt hec:

In Sicilia apud Platiam, in Calabria terra Iordani et Uallis grate apud Cusentiam. In[Page 188]

Apulia Capitanata et Basilicata apud Grauinam. In Principatu Terra Laboris et comitatu

Molisii usque Soram, aput Salernum. In iustitiaratu Aprutii, aput Sulmonam. Tempus autem quando congregande sunt Curie, erit in Kalendis Madii, et finient in Kalendis Nouembris; in quibus Magister iustitiarius, iustitiiarii, Magistri camerarii, baiuli et alii officiales Curie, prelati, comites, barones, ciues et aliorum locorum habitatores quilibet in sua prouincia tempore et locis prefixis, in presentia legati imperialis conuenire tenentur, super uniuersis et singulis que constitutio continet processuri.

Mense Februarii de Sicilia in Calabriam transfretat Imperator, et exinde in Apuliam uenit.

Hoc mense, et mense Ianuario preterito tanta fuit habundantia pruinæ et niuis, quod pro tempestate famis multa millia ouium in Apulia morerentur, siluestres etiam bestie, et ipse uolucres pre fame deficerent, et quo se uerterent ignorarent, cum ubique terrarum nix esset, et ipsa etiam flumina fuerint congelata; et etiam quod oliuæ et aliæ arbores fructifere arefacte essent ex gelu nimio, homines desperabiliter murmurarent.

Imperator de Apulia uenit in Terram Laboris et tunc ab ista parte Capuæ fieri super pontem castellum iubet, quod ipse manu propria consignauit.

In Neapoly etiam munitionem factam precipit ampliari. Operi castelli de Capua, ut citius fiat, preponit Nycolaum de Cicala, cui omnes iubet intendere a Miniamo usque Capuam.

In Gaieta pro Imperatore per Hectorem de Monte Fusculo fere XXX turres custodiuntur.

Mense Madii Imperator per Sanctum Germanum habens transitum, aput Reate ad papam uadit, ducens secum Conradum filium suum, et se ad seruitium ecclesie exponens contra Romanos.

Inquisitio fit Imperatore mandante de opere Sancti Germani per totam abbatiam per iudicem Adenulfum de Suessa et iudicem Thomam de Caserta.

Tunc Imperator aput Reate faciens moram, reuocauit ad opus suum quicquid turbationis tempore de Regni pertinentis occupauerant Reatini, et ipse cum gente sua una cum magistro Raynerio cardinale se Uiterbium confert, predicto Chonrado filio suo, et qui cum eo usque Reate iuerant, redeuntibus in Regnum, Imperatore mandante.[Page 189]

Et tunc aput Raspanpanum, quod Romani custodiebant, obsidionem ponit de cardinalis consilio Imperator; ubi per duos menses faciens moram cum in capiendo castro ipso non proficeret, mense Septembris in Regnum reuersus est Imperator.

Illis diebus dum Imperator esset Reate, quidam Gualterus de Aversa credens Imperatori placere, infestare cepit eos qui in odium Imperatoris ecclesie adheserant; propter quod ad pape uerbum, quia castrum Sancte Marie de Oliveto, quod Roggerius de Galluccio tenebat qui in partem ecclesie cesserat, ipse Gualterus ceperat, ipso Imperatore mandante per Magistrum iustitiarium captus est et custodie traditus; quem tamen ad preces Odorisii abbatis sancti Uincentii liberauit. Imperator in Regnum rediens, casalia quedam Apulie depopulari iubet: casale Castellionis ad Casinense monasterium pertinens recipi mandat, et inhabitari ad opus suum.

Mense Septembris studium quod Neapoly per Imperatorem statutum fuerat, quod extitit turbatione inter ecclesiam et imperium subsecuta penitus dissolutum, per Imperatorem Neapoly reformatur.

Romani statim post discessum Imperatoris a Raspanpano, cum suis uiribus Raspanpanum muniunt uictui necessariis, et procedentes inde, super Uiterbium uadunt minus provide equitantes usque ad portas ciuitatis; propter quod ipsos in reditu penituit equitasse.

Nam intercepti a Teutonicis militibus et hominibus ciuitatis ipsius, multi ex ipsis in ore gladii ceciderunt, et multi in captionem sunt ducti, ipsis nichilominus strenue se defendentibus contra illos et nonnullos de nobilioribus Teutonicis trucidantibus, cum eos nollent reseruare ad uitam.

Hoc anno, quod Henricus rex contra Imperatorem patrem suum seditionem in Alemannia fecerit, fama fuit.

M^oCC^oXXXV^o. Mense Ianuarii Imperator generalem collectam toti Regno imponit, et tunc collecte fuerunt de terra monasterii uncie CCCC pro adoamento per Stephanum de Anglone iustitiarium Terre Laboris, et pro mutuo uncie CC.

Mense Februarii inquisitiones fiunt per totum Regnum de hominibus demanii, quos in locis statutis transfert Imperator cum familiis suis; propter quod de Sancto Germano et de[Page 190]

tota terra monasterii nonnulli qui inuenti sunt de demanio extitisse, aput Cumas ire cum suis familiis compelluntur.

Mense Martii captiui de Apulia qui tenebantur apud Canusium per interuentum pecunie liberantur, et ex eis quidam digna sunt pena mulctati.

Mense Aprilis Imperator aput Precinam pascha Domini celebrat et consequenter post pascham iter arripuit, in Alamanniam profecturus, ducens secum Conradum filium suum. Quem magister domus Teutonicorum ipso mandante precessit ad papam, et Thomas de Aquino Acerrarum comes Magister iustitiarius, et iustitiiarii alii de Regno, necnon et Capuanus Ydrontinus et Panormitanus archiepiscopi, cum nonnullis de Regno usque Fanum secuti sunt, et de Imperatoris licentia sunt in Regnum reuersi.

Turres in Gaieta exceptis quatuor diruuntur mandato Imperatoris. Rocca Ianule super Sanctum Germanum firmatur. Stephanus de Anglone cedit officio iustitiariatus, et Guillelmus de Sancto Fraymundo succedit eidem. Imperator cum Conrado filio suo et de Regno admodum paucis mense Madii aput Ariminum mare intrat, et in Aquilegiam uadit, exinde in Alamanniam profecturus.

Pax inter papam, et Romanos reformata est; captiui Romani, qui aput Uiterbium tenebantur per papam liberati sunt, et qui tenebantur a Romanis, liberi dimittuntur.

Robbertus de Busso a iustitiariatu Aprutii amouetur, et Hector comestabulus Montis Fusculi substitutus est illi.

Mense Iunii Panormitanus et Capuanus archiepiscopi, Thomas de Aquino Acerrarum

comes et Henricus de Morra Magister iustitiarius, qui pro Imperatore in Regno remanserant, se Capuam conferentes statuerunt ibidem, qualiter rocca Iani super Sanctum Germanum muniri turribus et muris deberet. Ad quod faciendum quatuor elegerunt de terra Sancti Benedicti, qui homines deputatos ad opus rocce ipsius assignare suis uicibus domino Philippo de Citro deberent comestabulo Capue magistro operis rocce predictae, et ter in die ipsos[Page 191]

requirere quemlibet predictorum, quorum nomina hec sunt: Tacconus miles de Pontecurao, Raynaldus Belegrimi de Sancto Helya, Roggerius de Landenulfo et Raynaldus de Paterno de Sancto Germano. Et ut rocca ipsa citius muniretur, per ipsos dominos in terra Fundana certa singulis mensibus pecunie quantitas est statuta; et demum se apud Melphiam in Apuliam contulerunt.

Eodem mense Iulii de felicibus Imperatoris auspiciis littere uenerunt in Regnum, quomodo apud Sibidatum a principibus imperii magno fuerat cum honore receptus. Ipso mense nullo obstante Alamanniam intrans, Henricum regem filium suum redeuntem ad mandatum suum recepit; quem duci Bauuarie custodiendum commisit. Philippus de Citro amotus est a magistratu operis rocce Ianule, et Iacobus de Molino substitutus est illi.

Mense Iulii imperator filiam regis Anglie duxit uxorem, quam apud Guarmaciam magnifice desponsauit.

Millesimo CC^oXXXVI^o. Mense Ianuarii Imperator filium suum Henricum sub fida custodia per marchionem Lancee mittit in Regnum, et in Apulia in rocca que dicitur Sanctus Felix seruandus traditur. Hoc anno iussu Imperatoris Brundusii noui imperiales cuduntur, et ueteres cassati sunt. Generalis collecta in Regno ponitur, et tunc pro adoamento imperiali collectae sunt de terra monasterii Casinensis unciae CL.

Mense Iulii in uigilia apostolorum Petri et Pauli capta est Corduba, nobilissima Sarracenorum ciuitas, qua preter Romam Constantinopolim et Hispalym nulla maior in orbe dicitur a Ferrando christianissimo rege Toleti et Castelle.

Corduba uicta iaces, te uicit ut Deo uaces

Victor Ferrandus, Hyspanie rex memorandum.

Mense Iulii in festo sanctorum Nazarii et Celsi Landulfus Senebaldus Casinensis abbas feliciter apud Casinum obiit; cuius obitus per fratrem Iulianum monachum Casinensem dominis Curie imperialis qui sunt in Apulia nuntiatur; a quibus eligendi licentiam conuentus accepit.[Page 192]

Eodem mense imperiale mandatum ad Urbem et generaliter per Tusciam et Lombardiam et per totam Marchiam mittitur, ut tam de Urbe quam de singulis ipsarum prouinciarum communitatibus in Lombardiam legati uadant, postquam illuc sciuerint Imperatorem uenisse.

Mense Augusti frater Iulianus, frater Robbertus de Foresta et frater Iohannes Cazolus de uoluntate Henrici de Morra Magistri iustitiiarii per uicedecanum et conventuum rectores, terre monasterii sunt electi.

Imperator cum honesto militum comitatu, relictis Imperatrice uxore sua et Conrado filio suo in Alamannia, transalpinauit, et uenit Ueronam, que suo fauebat imperio; et inde prospere usque Cremonam processit in Lombardiam, licet Mediolanenses cum suis uiribus se sibi opponerent ne transiret. Domini Curie qui in Regno remanserant pro parte Imperatoris, cognito de aduentu Imperatoris in Lombardia, prohibuerunt uicedecanum et conuentum Casinensem ne in electione abbatis facienda procederent. Legati Urbis et totius Lombardie et Tuscie ad Imperatorem uadunt. Mense Octobris ad eum quoque duo uadunt ex parte Casinensis conuentus, frater uidelicet Simon de Presentiano et frater Amicus; qui tamen cum aliarum nuntiis ciuitatum usque Cremonam procedentes et ultra, ipsum uidere non potuerunt, cum mense Novembris capta ciuitate Uincentie propere in Alamanniam rediisset, quam ciuitatem ignis pro parte cremauit.

Pro meritis dignis Uincentia te cremat ignis;

Subderis imperio Cesaris ingenio.

Thomas Acerrarum comes et Henricus de Morra Magister iustitiarius vocati ab Imperatore uadunt ad ipsum mense Decembris, set ipsum in Lombardia non inuenerunt, cum in Alamanniam, ut dictum est, remeasset ad edomandam ducis Austrie nequitiam, qui rebellauerat contra ipsum. Propterea iidem comes, et Magister iustitiarius in Alamanniam properarunt.

Hoc anno Petrus Frayapane in urbe Roma pro parte Imperatoris guerram mouet contra papam et senatorem, et seditio facta est multa in populo.

Millesimo CC^oXXXVII^o. Mense Ianuarii VIII stante eodem, electio abbatis Casinensis canonice[Page 193]

celebrata est de fratre Pandulfo de Sancto Stephano, et quasi per inspirationem ab omnibus approbata.

Mense Februarii littere imperiales lecte sunt in Sancto Germano de captione Uincentie, et de noua Imperatoris prole feminea de noua consorte suscepta. Inquisitio fit de opere Sancti Germani per iudicem Adenulfum de Suessa.

Mense Martii frater Symon de Presentiano et frater Stephanus de Corvaria ad Imperatorem in Alemanniam uadunt cum litteris conuentus factis ad eum, quibus denuntiant electionem canonice celebratam de fratre Pandulfo de Sancto Stefano in abbatem Casinensem.

Eodem mense Imperatore mandante generalis collecta per totum Regnum exigitur.

Mense Aprilis magister domus Teutonicorum et magister Petrus de Uinea missi ab Imperatore ad papam ueniunt pro facto Lombardie. Eodem mense pax in Urbe reformata est.

Mense Madii Acerrarum comes et Magister iustitiarius ab Imperatore de Alamannia

redeunt in Regnum. Frater Symon de Presentiano et frater Stephanus similiter de Alamannia redeunt cum litteris Imperatoris de facto electionis facte de fratre Pandulfo ad archiepiscopos Panormitanum et Capuanum nec non et Rauellensem episcopum missis, per quos certiorari desiderat de sufficientia ipsius electi.

Eodem mense Iohannes de Poly senator Urbis factus est; et iterum in eius odium seditio in Urbe orta est.

Magister domus Teutonicorum a papa ad Imperatorem reuertitur.

Episcopus Ostiensis et Thomas Capuanus tituli sancte Sabine presbiter cardinalis legati ad Imperatorem uadunt ex parte pape.

Mense Iunii dictus frater Symon per dominum Guillelmum de Sancto Fraymundo Terre Laboris iustitiarium, remanente secum in rectoria fratre Iohanne Cazolo et duobus aliis cassatis rectoribus, scilicet fratre Iuliano et fratre Robberto de Foresta, rector Casinensis institutus est. Qui frater Symon aput Auellinum uadens ad dominos Curie supradictos, qui ibidem conuenerant, optinuit ab eis, ut pro inquisitione facienda de persona Casinensis electi mittere, quem uellent, deberent; qui ad hoc faciendum uirum prouidum iudicem Taddeum de Suessa magne imperialis Curie iudicem elegerunt.

Mense Iulii ueniens idem iudex ad Sanctum Germanum de mandato predictorum dominorum tam de fide quam sufficientia iam dicti Casinensis electi per singulos de castris singulis ad se sub certo numero uocatos homines, necnon et de Atino, ubi se tempore discordie inter ecclesiam et Imperatorem uoceperat, inquisitionem facere studuit diligentem, quam in scriptis redactam ad eosdem dominos per magistrum Terrisium de Atino remisit,[Page 194]

ad quos etiam frater Iohannes de Sancto Germano et magister Raymundus iudex et aduocatus Casinensis uadunt ex parte conventus; et approbata per ipsos dominos inquisitione ipsa, electionem factam de predicto fratre Pandulfo, iuxta mandatum Cesaris acceptarunt. Eodem mense Iacobus de Molino captus a Magistro iustitiario propter arma prohibita et seditionem factam, custodiendus traditur in castello Neapoly, et nonnulli alii seditiosi capiuntur, et ad castra alia in captione mittuntur.

Hoc anno Iohannes rex quondam Iherosolimitanus aput Constantinopolim nature concessit.

Mense Iulii. Romani plebei populum concitantes contra Iohannem de Poly senatorem Urbis, ipsum senatorie dignitati cedere compulerunt et Iohannem de Cencio substituerunt eidem; propter quod seditio et cedes multa facta est populi, cum idem Iohannes de Poly se in turri sua receperit contra Romanos et senatorem sibi substitutum, et bellum contra eos mouerit intestinum; tandemque pax reformata est inter eos, in senatu de consensu iam dicti Iohannis de Poly Iohanne de Cencio remanente.

Mense Augusti pro confirmatione electionis iam dicti fratris Pandulfi optinenda a papa, uadunt frater Berardus de Babuco, frater Iohannes de Sancto Germano, frater Gregorius de Sancto Stephano, frater Stephanus de Corvaria et magister Raynaldus de Cayra iudex et aduocatus Casinensis aput Uiterbium; qui quoniam optinere illam non potuerunt a papa iam[Page 195]

dicto, quia in electione non fuerat rite processum, optinuerunt ad multam instantiam ne monasterium in deterius uergeret, ut electus ipse amministraret usque ad beneplacitum pape. Eodem mense Augusti de mandato Imperatoris de Lucerio aput Rauennam uadunt X millia Sarracenorum in subsidium eius, cum ciuitatem ipsam in odium Imperatoris, cuius partem fouebat, Faurentini, qui erant ex parte Mediolanensium grauiter infestarent; ad cuius etiam defensam accesserat Symon comes Theatinus de mandato imperiali cum quingentis militibus.

Mense Septembris Henricus de Morra Magister iustitiarius uenit ad Sanctum Germanum, et occasione inquisitionis olim facte ibidem de subtractis hominibus tempore Philippi de Citro ab opere munitionis terre ipsius, generaliter pro hiis qui eos subtraxerant per totam abbatiam, composuit cum eis ad maiorem penam uitandam in CCC uncias auri, cum predicto uero Philippo de Citro in centum; et tunc uocatus a Cesare ad ipsum in Lombardiam uadit.

Mense Octobris Imperator cepit Marcariam in Lombardiam; et cum nollet habita Mantua alloqui cardinales, ipsi Romam reuersi sunt; ubi etiam biduo ante Gregorius papa de Uiterbio redierat, et cum honore multo receptus fuerat a Romanis.

Mense Nouembris embassatores Romani ad Imperatorem in Lombardiam uadunt. Imperator cum fortunato exercitu suo cepit Montem clarum in episcopatu Brexie, quod bonis omnibus spoliatum comburi iubet; propter quod Brexienses in suum auxilium Mediolanenses uocant, qui in manu ualida militum et peditum congregato exercitu, uersus Brexiam in eius auxilium profecti sunt, contra Imperatorem se temere opposcentes. Quos Imperator ipse IIII stante eodem mense Nouembris, cum apud Curtem nouam sua tentoria defexissent ab ipsius facie fugientes, audacter non minus quam potenter inuadens, deuicit in campo, et ex ipsis[Page 196]

stragem non modicam fecit, et nonnullos cepit et captiuos Cremonam duxit, ita quod inter uiuos, et mortuos ad decem fere millium numerum computantur. Tunc etiam Mediolani potestas filius ducis Uenetum captus est. Similiter et carrochium cepit et Cremonam duxit. Mense Decembris Lauda ipsi Imperatori se reddidit, et ibi natale Domini cum omni tripudio celebrauit.

M^oCC^oXXXVIII^o. Mense Ianuarii Henricus de Morra Magister iustitiarius de Lombardia redit in Regnum, et tunc generalis collecta per totum Regnum imponitur, et colligitur. Imperator in Alamanniam remeat, et ibi pro facto Lombardie exercitum congregat, magistrum domus Alamannorum ultra montes dirigit pro soldariis retinendis.

Mense Aprilis ipse Imperator in Lombardiam redit, et aput Ueronam Conradum filium suum cum principibus imperii et copioso exercitu prestolatur. Carrochium captum Romam dirigit Imperator in signum uictorie.

Mense Madii Imperator ipse uocat ad se Thomam de Aquino Acerrarum comitem, et[Page 197]

Henricum de Morra Magistrum iustitiarium, et omnes barones, et milites infeudatos; quorum nonnullos, iuxta ipsius mandatum euntes ad eius obsequium ciuitatibus que uenerant ad mandatum suum potestates prefecit, et aliis custodiam captiuorum commisit.

Mense Iunii dictus Acerrarum comes et Henricus de Morra Magister iustitiarius ad Imperatorem in Lombardiam uadunt cum militibus Regni decenter paratis in equis, et armis et cum pecunia de Regno collecta.

Gregorius papa Urbem exiens uenit Anagniam.

Hoc mense in Casino celebratur electio, et quia in eligendo monachi conuenire non poterant, uota sua dederunt omnes in archiepiscopum Messanensem, ut ipse unum quem uellet, de gremio assumeret monasterii.

Mense Iulii Conradus rex filius Imperatoris aput Ueronam uenit ad patrem cum principibus et exercitu copioso; cum quo se Cremonam conferens, inde feliciter in obsidionem Brexie properauit: aput Ueronam etiam magistrum domus Teutonicorum infirmum redeuntem de partibus Ultramontis recepit Imperator.

Hoc mense frater Iohannes Capuanus, Casinensis monachus, in abbatem Sancti Salvatoris de Telesia per papam Gregorium aput Anagniam consecratus est.

Mense Augusti Henricus de Morra Magister iustitiarius redit in Regnum de Lombardia.

Hoc etiam mense dictus abbas sancti Saluatoris infirmitate correptus obiit. Panormitanus archiepiscopus, episcopus Reginus, iudex Taddeus de Suessa et magister Roggerius Porcastrella de Lombardia ab Imperatore ad papam aput Anagniam nuntii ueniunt pro pace inter ecclesiam et imperium reformanda; cum quibus pro parte ecclesie Messanensis archiepiscopus ad Imperatorem dirigitur responsalis a papa.

Magister domus Alamannorum Salernum se confert pro sanitate recuperanda.

Mense Septembris Imperatrix de Lombardia uenit in Regnum, et aput Adriam elegit iussu Imperatoris facere stationem.[Page 198]

Mense Octobris Gregorius papa de Anagnia redit ad Urbem, ubi noui constituti sunt senatores, silicet Iohannes de Poli et

Imperator uastata in exterioribus Brexia ab eius obsidione recedit. Conradus filius eius in Alamanniam redit, et licentia data est in propria reuertendi; ipse tamen in Lombardia remansit.

Henricus naturalis filius Imperatoris in Sardinia duxit uxorem.

Mense Nouembris Landus Messanensis archiepiscopus, in quem conuentus Casinensis eligendi quem uellet in abbatem de gremio monasterii, sua uota dederunt, fratrem Stephanum de Coruaria cum illum ydoneum inuenisset in abbatem Casinensem elegit; quem idem conuentus pariter acceptauit, et propter hoc ad representandam ipsius electionem domino Imperatori, duos ex fratribus silicet fratrem Robertum de Foresta et fratrem Iohannem de Pontecuruo ad eius presentiam direxerunt, ut suum in eum dare dignaretur assensum. Idem Messanensis archiepiscopus cum Berardo Panormitano archiepiscopo et Thoma de Aquino Acerrarum comite et cum magistro Roggerio Porcastrella ab Imperatore remissus ad papam, Romam ueniunt pro pace et forma concordie hinc inde tractata. Guido Soranus episcopus legatus a papa in Prouinciam mittitur.

Mense Decembris Imperator Imperatricem uxorem suam de Regno in Lombardiam reduci iubet ad se per Berardum Panormitanum archiepiscopum. Messanensis archiepiscopus et dictus Acerrarum comes et magister Rogerius Porcastrella de Urbe a papa digressi sunt; quorum duo, silicet comes et magister Rogerius in Regnum redeunt; Messanensis uero archiepiscopus se Anagniam confert. Imperator aput Parmam natale Domini celebrat, ibique representate sibi electioni a predictis fratribus facte de fratre Stephano ab archiepiscopo Messanensi in abbatem Casinensem suum dedit assensum. Dictus magister Roggerius cum responso pape ad Imperatorem redit.

M^oCC^oXXXIX^o. Mense Ianuarii generalis collecta per Regnum ponitur. Frater Raynaldus[Page 199]

de Carci et frater Berardus de Babuco electionem fratris Stephani in abbatem Casinensem representant domino Gregorio pape in Urbe. Imperiales noui cuduntur Brundusii.

Mense Februarii Gregorius papa electionem fratris Stephani confirmat, eumque per manus Ostiensis episcopi facit in sacerdotem promoueri in festo sancti Barbat, et die altera benedictionis sibi munus impendi. Qui in Casinensi monasterio in festo beati Matthie honorifice receptus est et cum gloria cathedratus.

Mense Martii idem abbas ad Imperatorem in Lombardiam uadit, a quo benigne satis receptus est, et ibidem fidelitatis sibi prestitit sacramentum. Et eo mense idem abbas priusquam iret, Uicedecanum instituit fratrem Ryccardum de Septem fratribus.

Eodem mense in die sancto Iouis Gregorius papa Imperatorem publice excommunicat; cui excommunicationi tanquam iniuste Imperator non paret, set suas excusatorias mittit ad orbis principes, quomodo papa perperam contra se processit.

Mense Aprilis monasterium Casinense Imperatore mandante seruientibus et aliis ad custodiam necessariis communitur quibusdam monachis ex eo exclusis.

Similiter et Pontem curuum per Taffurum castellanum rocce Ianule.[Page 200]

Mense Madii in Marsia aput Tallacozum quidam sanctus Oddo reuelatur, qui miraculis multis claruit. Thomas de Aquino Acerrarum comes uocatus ad Imperatorem in Lombardiam uadit. Omnes de Regno qui sunt in Romana curia, reuocantur.

Denarii noui dati sunt per terram Sancti Benedicti, pro quibus datum est aurum ad

summam CLXX unciarum.

Teanensis, Calinensis, Uenafranus, Aquinensis episcopi de Regno exeunt, Imperatore mandante.

Mense Iunii tertio intrante eodem mense, qui fuerit Ueneris dies, circa horam nonam sol eclipsim passus est.

Eodem mense a monasterio Casinensi sicut a ceteris aliis de Regno cathedralibus ecclesiis, necnon et a subditis eidem monasterio cellis, adiutorium pro Imperatore exigitur. Similiter et a clericis abbatie pro beneficiis suis. Obedientiales monachi uocati a Taffuro castellano rocce Ianule, sicut et ipsi clerici, dare conuenerunt medietatem omnium prouentuum obedientiarum suarum, et exinde respondere Roggerio de Landenulfo et Iacobo Cazolo ad hoc constitutis per iustitiarium Terre Laboris pro uictu seruientium, qui deputati sunt ad custodiam monasterii et Pontiscurui.

Eo tempore subscripta capitula edita sunt in Regno, que pro parte imperiali obseruari iubentur. "In primis, ut fratres Predicatores, et Minores, qui sunt oriundi de terris infidelium Lombardie, expellantur de Regno; et ab aliis habeatur cautela, quod non offendant Imperatorem. Idem fiat de aliis personis religiosis. Item ut barones et milites, qui fouerunt aliquando partem pape contra Cesarem, et precipue qui sunt in confinio Regni, inducantur, potentes, quod uadant ad seruitium curie in Lombardiam cum equis et armis, impotentes similiter a Curia imperiali stipendia recepturi. Item a cathedralibus ecclesiis per se exigatur et imponatur pro imperiali Curia adiutorium, secundum modum et potentiam diuitiarum suarum. Nichilominus et a canonicis earum dyocesum sibi subditis presbiteris et clericis secundum facultates eorum. Illud idem exigatur ab abbatibus monachis nigris et albis. Item quod hii qui sunt in Romana curia, preter exclusos et suspectos, reuertantur in Regnum; sin autem, bona eorum infiscentur, nec permittantur post citationem reuerti. Excipiuntur qui sunt cum cardinali Thoma et cum Iohanne de Capua notario pape. Item illorum clericorum, qui de Regno non sunt, bona et beneficia que habeant in Regno infiscanda sunt. Item quod nulli permittatur ad Romanam ecclesiam accedere sine speciali mandato Magistri iustitiarum; et qui accesserint, non permittantur redire sine mandato[Page 201]

Curie. Item quod statuatur exploratores, ne quis masculus uel femina intrando Regnum portet papales litteras contra Cesarem; item, ut qui inuentus fuerit contra Cesarem illas portans, ultimo supplicio puniatur suspensus; et si portauerit litteras de credentia, cogatur confiteri modum et tenorem credentie. Et si confessio ledit principem, eodem iudicio puniatur, siue clericus siue laycus fuerit".

Ipsa mense Iunii Sanctagathensis et Caluensis episcopi Romam uadunt, missi ab Imperatore ad cardinales; set a papa repulsi in Regnum sine effectu redeunt.

Ciuitas Teruisii per Albericum de Romano, et Ezolinum de Camino rebellat Imperatori.

Eodem mense Iunii iterum alii qui remanserant monachi de monasterio excluduntur; quibus simul cum primis exclusis morari aput Uallemluci prouisum est, paucis admodum in monasterio remanentibus.

Mense Iulii Rauenna rebellat Imperatori, quam Ueneti recipiunt et tuentur. Eo mense homines terre monasterii mandante Imperatore, absenti Casinensis abbati, et secum in suo seruitio commoranti per sacramentum uitam assecurant et menbra.

Gregorius papa de Urbe uenit Anagniam.

Imperator de gratia concessit dicto Casinensi abbati, ut tam monasterium Casinense quam omnes monachi et celle eius a generali, quod ab aliis exigitur ecclesiis Regni, adiutorio essent immunes.

Eodem mense Iulii tertia fit exclusio monachorum de monasterio Casinensi, quorum quidam aput Uallemluci, quidam aput Sanctum Petrum monasterii, et quidam moram facere in parentum domibus elegerunt; et in ipso monasterio non nisi octo tantum monachi ad celebrandum in eo diuina officia remanserunt, quorum nomina sunt hec: frater Ryccardus de Septem fratribus uicedecanus, frater Seniorectus, frater Robertus de Ota, frater Iohannes Cazolus, frater Guillelmus de Pignataro, frater Iohannes de Marocta et frater Mattheus de Miniano.

Rome aput Lateranum obiit R.... episcopus Uenafranus.

Eodem mense Iulii Imperator cum suo fortunato exercitu cepit in episcopatu Bononiensi castrum quoddam fossatis et aquis munitum, quod Plumacium uocabatur, quod totum igne crematum est, et quam plures eorum qui intus steterant, cremauit ignis; et fere quingenti qui euaserunt ignis incendium, Imperator duxit captiuos.[Page 202]

Rome occidit turris Cartolariorum.

Mense Augusti rex Nauarre cum copioso crucesignatorum exercitu de Marsilia in Terram sanctam nauigio transfetat.

Item Imperator ipso mense Augusti in uigilia assumptionis beate Uirginis in episcopatu Bononiensi cepit castrum quod dicebatur Crepacore, quod igne crematum est; et nonnulli eorum qui intus steterant, euaserunt, et pro maiori parte sunt nonnulli captiui.

Aput Anagniam Thomas Capuanus Sancte Sabine presbyter cardinalis XV kal. Septembris obiit; uersus:

In festo Magni festum | Thomas perit Agni

Donatur Magno | caro marcida, spiritus Agno.

Eodem mense Augusti Henricus de Morra Magister iustitiarius uocatus ab Imperatore, ad ipsum in Lombardiam per mare uadit. Imperator reuocatus a ciuitatibus et magnatibus Lombardie partem suam fouentibus, diuertit ab episcopatu et depopulatione Bononie, et ad depopulandum in exterioribus Mediolanum accedit; cui Mediolanenses extra civitatem per octo fere milliaria obuios se opponunt. Imperator tamen, cum inuadere ipsos non posset

aut facere in eos insultum, moram protrahens in episcopatu Mediolanensi per duos fere menses, Septembris silicet et Octobris, et depopulatione facta non modica in extrinsecis, discessit ab inde et ad deuastationem pontis Placentie cum exercitu suo accedit.[Page 203]

Eodem mense Septembris iustitiiarii omnes et castellani de Regno mutantur; et amoto Taffuro de Capua de rocca Ianule, qui etiam curam agebat montis Casini et Pontis curui, substituitur illi quidam Guillelmus de Spinosa in rocca Ianule castellanus, et in Casino quidam Iordanus de Calabria ordinatur. Eodem mense amoto a iustitiiariatu Terre Laboris Guillelmo de Sancto Fraymundo, Ryccardus de Montenigro substitutus est illi. Barones et milites infeudati de Regno per iustitiiarios singulos, ut se in equis et armis preparent, summonentur.

Bononienses post discessum Imperatoris ab episcopatu Bononie, euntes temere super Mutinam, que Imperatori fauebat, a comite Symone Theatino et Parmensibus deuicti sunt in campo, et nonnulli eorum capti sunt, nonnulli gladiis interempti, et nonnulli ampne summersi.

Henricus rex Gallure naturalis filius Imperatoris in marchiam Anconitanam uenit: contra quem mittitur a Gregorio papa Iohannes de Columpna cardinalis.

Mense Octobris Prenestinus episcopus legatus a papa ad principes mittitur occidentis, qui in specie peregrini cum uno tantum socio per terram usque Ianuam uadit, et inde nauigio transfretauit.

Mense eodem quidam Andreas de Cicala a Porta Roseti usque ad fines Regni per Imperatorem capitaneus constituitur. Ingenia que bidde dicuntur et manganelli fiunt, Imperatore mandante, ad defensam rocce Ianule et Casini; propter quod et homines terre monasterii ad incidenda lignamina ipsis machinis opportuna, et boues ad ea deferenda non modice sunt grauati.

Roffridus Theanensis episcopus apud Cornetum obiit.

Mense Nouembris Gregorius papa de Anagnia redit ad Urbem, ubi a Romanis omnibus honorifice receptus est. Qui in octauis beati Martini sententiam latam in Imperatorem confirmat,[Page 204]

et excommunicat Henricum naturalem filium eius et omnes sequaces eorum pro eo, quod Marchiam, quam iuris esse dicebat ecclesie, hostiliter est ingressus.

Mense Decembris Imperator aput Pisas natale Domini celebrat. Quidam frater Helyas, qui in ecclesia sancti Francisci aput Ascisium magister ordinis fratrum Minorum extiterat, pro eo quod apud Gregorium papam delatus a fratribus quod male amministrasset, eum ipse papa ab amministrazione remouit, in odium pape Imperatori adhesit. Uigiles de nocte per Ryccardum de Montenigro iustitiiarium in principatu Capue statuti sunt.

M^oCC^oXL^o. Mense Ianuarii per predictum capitaneum generalis collecta exigitur, Imperatore mandante; et tunc uisitatores castrorum per Regnum constituuntur, per quos de fidelibus deputati sunt aliqui, qui castra imperialia uisitent semel in hebdomada, et tam de factis castellanorum, quam de numero seruientium diligenter inquirant, similiter et defectu eorum.

Mense Februarii per eundem capitaneum per totum Regnum fit inquisitio generalis contra impositores et collectores collecte imperialis anni preteriti, ut de sua malitia pro meritis[Page 205]

puniantur. Imperator uenit Fulignum, ubi magnifice a ciuibus receptus est. Aspellum et Coccoionum uenerunt ad mandatum suum, recipit tunc etiam Uiterbium eodem mense Februarii, Ortam, Ciuitam Castellanam, Cornetum, Sutrum, Montem Flasconem et Tuscanellam. Imperatrix cum Berardo Panormitano Archiepiscopo in Regnum uenit.

Stella cometes apparuit.

Mense Martii Imperator, relicto capitaneo aput Uiterbium comite Symone Theatino cum exercitu suo et in Marchia naturali filio suo Henrico rege Gallure, cum hiis qui de Regno secum in Lombardia fuerant, redit in Regnum, tunc Stephano Casinensi abbate ad terram monasterii redeunte.

Mense Aprilis Imperator aput Fogiam colloquium celebrat generale. Specialis collecta a clericis Regni pro beneficiis ecclesiasticis exigitur.

Eodem mense filius regis Castelle ad Imperatorem apud Fogiam uenit.

In Sancto Germano magister Iohannes archipresbyter terre eiusdem, et magister Petrus frater eius, iussu Imperatoris per Philippum de Surrento militem Capuanum et per quemdam iudicem maiorem capti sunt, et eorum sunt mobilia infiscata, immobilia uero omnia annotata.

Ciuitas Ferrarie a ciuitatibus Lombardie Imperatori contrariis nec non et a Uenetis impugnatur, et obsidetur per terram et aquam; in qua pro Imperatore erat quidam Azolinus.

Imperator a suis officialibus certam exigit pecunie quantitatem.[Page 206]

Mense Madii Imperator congregato exercitu de Apulia uenit Capuam, et ipso mandante Beneuentum in exterioribus deuastatur.

Mense Iunii Imperator cum exercitu suo, quem de Regno collegerat, uenit ad Sanctum Germanum, ubi per sex dies moram protrahens, e uestigio per Aquinum transitum faciens, et secum ducens Pandulfum dominum Aquini aput Insulam pontis Solarati posuit castra sua, Campaniam intrare disponens. Quam non intrauit, usus consilio saniori, set per Soram et Marsiam direxit in Ancone marchiam gressus suos.

Eo mense Thomas dictus Molisii comes aput Spoletum, que se pro papa tenebat, cum ducentis militibus a papa dirigitur. Henricus rex Imperatoris filius, tentus in rocca Sancti Felicis in Apulia, in Calabriam custodiendus aput Neocastrum iussu patris dirigitur, et exinde aput Martoranum missus est.

Mense Iulii per totum Regnum, iussu Imperatoris ab hiis omnibus quibus per officiales suos aliqua fuere commissa officia, certa exigitur pecunie quantitas; et tunc quidam de

Sancto Germano per quemdam Octauianum Siculum taxati fuerunt in CC uncias auri. Stephanus Casinensis abbas mouens de Sancto Germano ad Imperatorem, qui erat in obsidione Asculi, in Marchiam uadit. Eodem mense iussu capitanei in Sancto Germano certus militum numerus congregatur. Tunc amoto de rocca Ianule Guillelmo de Spinosa Castellano, quidam Iohannes de Trentenaria per Imperatorem est statutus in ea. Imperator castra sua mouens ab Asculo processit uersus ciuitatem Firmanam, a quo Stephanus Casinensis abbas cum ipsius licentia discedens infirmus ad ecclesiam suam sancti Liberatoris se contulit, ubi donec conualuit moram fecit. Eo mense captus est iussu Imperatoris magister Raynaldus de Cayra.[Page 207]

Mense Augusti ciuitas Beneuentana obsidetur iussu Imperatoris. Imperator ipse uero ciuitatem Fauentie arctat et obsidet.

Mense Septembris galee Ueneticæ discurrentes per Regnum in odium Imperatoris, Termulas Uestam et quasdam alias Apulie terras capientes, destruxerunt et bonis omnibus spoliarunt. Aput Brundisium euntes predictæ galee, nauem quandam redeuntem ab Iherosolimis, cum non possent ui capere, igne cremarunt. Milites qui steterant in Sancto Germano ad Imperatorem uadunt aput Fauentiam, ex eis quibusdam in propria recedentibus.

Mense Octobris galee ipse multis onuste spoliis in sua redeunt.

Mense Nouembris fratres Predicatores et Minores omnes de Regno exeunt, Imperatore mandante, duobus tantum relictis, qui sint de Regno natiui, in singulis quibusque illorum domibus ad custodiam earundem.

Mense Decembris

M^oCC^oXLI^o. Mense Ianuarii per totum Regnum generalis collecta exigitur. Iohannes de Columna cardinalis discors factus cum Gregorio papa in partem cedit Imperatoris, et Lagustam in Urbe, et extra Urbem alia castra sua firmari iubet.[Page 208]

Mense Februarii Imperatore mandante, per totam Regni maritimam iuxta cursum galee armantur.

Mense Martii milites et pedites ad defensam et custodiam maritime ubique per Regnum ire iubentur.

Eodem mense galee predictæ uersus Pisas uadunt.

Mense Aprilis ciuitas Beneuentana, quæ Romane ecclesie suberat, arctata et necessitate compulsa Imperatori se reddit; cuius menia Imperatoris iussu funditus euertuntur, et turres ciuitatis eiusdem usque ad solarium. Arma hominum ciuitatis ipsius ad opus recipiuntur Imperatoris.

Eodem mense Fauentia per annum obsessa et arctata ab Imperatore, uenit ad mandatum ipsius, saluis personis et rebus hominum ciuitatis eiusdem, in qua postea Imperator ipse fieri munitionem mandat.

Mense Maii in festo inuentionis sancte crucis galee imperiales cum galeis Ianuensium conflictum habentes, nonnullos prelatos occidentales qui erant in eis, habita uictoria de Ianuensibus, ceperunt, et duxerunt aput Pisam captiuos cum duobus legatis, Prenestino[Page 209]

scilicet episcopo et Oddone sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono Cardinali, de quorum mandato ueniebant ad papam. Inter quos fuerunt Cisterciensis et Clareuallensis abbates, nec non Rothomagensis archiepiscopus, et alii quos ignoro. De galeis quoque Ianuensium capte sunt ultra XX., et nonnulli Ianuensium in eis, et quam plures sunt sponte ob metus causam in mari submersi; qui omnes postea, Imperatore mandante, tam prelati, quam alii cum legatis ipsis in Regnum aput Neapolym per mare in captionem ducti sunt, et in custodiam per Regni castella transmissi. Milites et pedites nonnulli aput Aquinum, et aput Sanctum Germanum conueniunt ad Regni custodiam.

Mense Iunii prelati de Regno uocati ab Andrea de Cicala capitaneo et Magistro iustitiario, aput Melfiam ad eum uadunt; a quibus thesauri ecclesiarum suarum, tam in auro, argento, quam uestibus sericis et lapidibus pretiosis, in commodato pro principe exiguntur. Imperator discedens a Fauentia uenit Fanum, quam, circumposita obsidione, cum flectere ad sua vota non posset, in exterioribus uastat, et discedens inde uadit Spoletum, quod recipit ad mandatum suum. Ascisii ciuitatem sibi renitentem similiter uastat exterius.

Eodem mense fama de Tartaris ad Imperatorem peruenit, quod iam dicto rege Ungarie essent in foribus Alamannie et ipse rex Ungarie significauit eidem Imperatori per Guaciensem episcopum legatum suum, et per litteras suas, per quas se ipsum et regnum Ungarie sue promittit subicere dicioni dummodo per ipsum Imperatorem ab ipsis Tartaris protectionis sue munimine defendatur. Et ob hanc causam Imperator ipse metuens christianitatis excidium, ut componat cum papa Gregorio, uersus Urbem dirigit cum festinantia gressus suos et tunc[Page 210]

propter hoc generales mittit litteras ad uniuersos principes occidentis, quarum tenor talis est:

Illustri regi Francorum, tamquam fratri suo, Fredericus, etc. Perfecte sollicitudinis zelus, quo sicut pater imperii statum eiusdem diligere cogimur et tueri, propensius nos inducit non tam manifesta pericula, quam suspecta uereri, etc., per quas litteras principes ipsos animat et hortatur ad fidei christiane defensionem et ecclesie sancte succursum.

Eodem mense Imperator ueniens aput Interampnes, ciuitatem ipsam recipit ad mandatum suum.

Mense Iulii Imperator uenit Narniam, quam sibi renitentem inuenit; propter quod, facta in exterioribus uastitate, inde discessit, et uersus Reate concito uadit, quam sibi similiter resistentem inuenit, et tunc Imperator uocatus ipse a Iohanne de Columna cardinali, festinat ad Urbem.

Eodem mense Andreas de Cicala capitaneus iussu Imperatoris captiuos legatos et alios

transferri de Neapoly Salernum facit per Ryccardum de Montenigro iustitiarium Terre Laboris; et ipse capitaneus uocatus ad Imperatorem uadit. A quo rediens, per totum Regnum certum exigit numerum militum et seruientium, et omnes thesauros ecclesiarum sue iurisdictionis aput Sanctum Germanum congregari iubet.

Iohannes de Columpna cardinalis discors a papa discedit, seque confert in Prenestino.

Monticellum et Pontem Lucanum contra Romanos recipit in odium pape. Ad quem Imperator milites et seruientes de Regno mittit.

Mattheus Russus per Gregorium papam senator efficitur; qui aput Lagustam, quam

Iohannes de Columpna firmauerat et tenebat per suos, obsidionem ponit.

Mense Augusti Imperator recipit ciuitatem Tyburtinam, et exinde uersus Urbem uadit;

et tunc castrum quoddam quod dicitur Mons Albanus, quod erat sancti Pauli de Urbe, ui cepit et igne consumpsit: castra etiam quedam Farfensis monasterii occupat et diuastat.

Burgum nouum desertum incolis igne crematur. Imperator ipse aput Cryptam ferratam[Page 211]

ponit castra sua, et in exterioribus Urbem diuastat, et tunc de Gregorio papa quod obierit Rome XXI. Augusti, pro certo accepit, de cuius licentia cardinales omnes, qui extra Urbem fuerant, pro electione pape facienda ad Urbem redeunt.

Eodem mense Augusti iussu Imperatoris uastatores de Regno aput Insulam pontis Solarati, et aput Sanctum Iohannem de Incarico, ut intrent Campaniam congregantur. Cardinales, qui in Urbe ad pape electionem conuenerant, per senatorem et Romanos aput Septisolium includuntur, ut ad creandum papam inuiti procedant [...].

Mattheus Russus Urbis senator Lagustam ui Romanorum optinuit. Thesauri omnes ecclesiarum Regni a porta Roseti usque ad fines Regni iussu Andree de Cicala capitanei aput

Sanctum Germanum in ecclesia sancte Marie terre eiusdem congregantur et reponuntur;

quorum custodie deputati sunt XII. de ditioribus et melioribus hominibus ipsius terre. Et

tunc tabula aurea que ante altare beati Benedicti ad ornatum diu steterat, et alia tabula

argentea altaris beate Marie, et ycona cum smaltis que super altare fuerat beati Benedicti, et omnis alius thesaurus ipsius monasterii in auro argento pannis sericis et lapidibus pretiosis,

nec non et aliarum ecclesiarum terre ipsius monasterii ad Sanctum Germanum in predicta ecclesia sancte Marie portatur et deponitur; cuius thesauri capti ab ecclesiis Regni pars pretio redimitur, et pars reliqua aput sanctam Mariam de Crypta ferrata ad principem deportatur.

Prenestinus episcopus et Oddo cardinalis cum magistro Iohanne Toletano sub ducatu

Tybboldi de Dragone, aput Tybur ducuntur.

Mense Septembris uastatores aput Insulam congregati, mandato Cesaris in propria reuertuntur.

Imperator ipse, relictis aput Tybur sub custodia suorum, quos ad tuitionem et defensam

ciuitatis ipsius reliquerat, episcopo et cardinale predictis, per Campaniam redit in Regnum;

et ueniens aput Insulam Solaratam, ciuitatem nouam in fronte Ceperani construi iubet. Ad

cuius ciuitatis foundationem statuit dominum Ryccardum de Montenigro Terre-Laboris iustitiarium,

et mandat ut homines Arcis, Sancti Iohannis de Incarico, Insule pontis Solarati et Pastine[Page 212]

illuc ire ad habitandum cogantur. Statuit insuper, ut ad opus ciuitatis eiusdem uenire deberet certa quantitas hominum de abbacia Casinensi, abbacia sancti Vincentii, comitatu Fundano, Comino et comitatu Molisii per ebdomadam. Et tunc recto tramite per Sanctum Germanum Aliphiam et Beneuentum in Apuliam uadit, mandans ut thesauri ecclesiarum ad ipsum aput Fogiam deferantur.

Mense Octobris Gyffridus Mediolanensis in Celestinum papam eligitur.

Eo mense thesauri ecclesiarum aput Fogiam per eos de Sancto Germano qui eorum

fuerant custodie deputati, mandante Cesare deferuntur, excepta tabula altaris sancti Benedicti,

et ut redimi debeant a prelatis singulis et ecclesiis, quarum erant pro certa pecunie

quantitate, ab Imperatore mandatur. Eodem mense iubetur a Cesare, ut nullus de Regno

equos aut arma uendere uel trahere extra Regnum presumat.

Inquisitio aput Sanctum Germanum fit de medicis qui mederi ausi sunt, et in tota abbacia, nisi de licentia imperialis Curie et per eam fuerint approbati.

Ciuitas Accon rebellat Imperatori.

Mense Nouembris Celestinus papa Rome aput Sanctum Petrum obiit; et de cardinalibus

quidam, eo insepulto, de Urbe fugerunt, et contulerunt se Anagniam.

Mense Decembris Imperatrix aput Fogiam obiit, et aput Andriam sepelitur.

M^oCC^oXLII^o. Mense Ianuarii generalis collecta per totum Regnum exigitur, de qua tertia[Page 213]

pars remittitur, sicut anno preterito. Inquisitiones fiunt ubique per Regnum contra infideles inuentos tempore turbationis, contra forbannitos et foriudicatos, contra aleatores et prohibita arma portantes, et super multis aliis articulis.

Mense Februarii Ryccardus de Montenigro, a iustitiariatu Terre Laboris amouetur, et

Gysulfus de Mannia substituitur illi. Turres ciuitatis Bari que erant in ciuitate Imperator

dirui iubet. Biscoctum fieri facit per loca maritima et etiam per loca alia pro fodro CL. galearum

et XX. nauium, quas armari mandat super Pisanos et Uenetos: ad Romanam curiam

magistrum domus Teutonicorum creatum nouiter archiepiscopum Barensen, et magistrum

Roggerium Porcastrellum pro pace legatos mittit.

Patriarcha Aquilegensis pro facto Tartarorum ad eum uenit.

Eodem mense Henricus primogenitus Imperatoris tentus apud Martoranum naturali morte

defungitur, pro cuius exequiis celebrandis Imperator ipse ad omnes Regni prelatos suas

dirigit literas in hac forma: *Fre[dericus] et cetera abbati Casinensi et cetera. Misericordia pii*

patris seueri iudicis exuperante iudicium, Henrici primogeniti nostri fatum lugere compellimur,

lacrimarum ab intimis educente natura diluuium, quas offense dolor et iustitie rigor intrinsecus obfirmabant. Mirabuntur forsitan diri patres, inuictum publicis hostibus Cesarem dolore[Page 214]

domestico potuisse conuinci. Subiectus est tam cuiuslibet principis animus quantumuis rigidus nature dominantis imperio, que dum uires suas exercet in quemlibet, leges et Cesares non agnoscit. Fatemur, quod qui uiui regis superbia flecti nequiuimus, sumus eiusdem filii nostri casu conuicti. Sumus tamen eorum nec primi nec ultimi, qui detrimenta pertulerunt transgredientium filiorum, et nichilominus illorum funera deplorarunt. Luxit namque Dauit triduo primogenitum Absalonem, et in Pompeii generi sui cineres, fortunam et animam soceri persequentis, magnificus ille Iulius primus Cesar paterne pietatis affectum et lacrimas non negauit; nec dolor acerrimus ex transgressione conceptus, est efficax parentibus medicina doloris, quod in obitu filiorum natura pungente non doleant, contra naturam a filiis licet irreuerenter offensi. Nolentes igitur nos et non ualentes circa predicti filii nostri funus omittere, que sunt patris, fidelitati precipiendo mandamus, quatinus per totam abbatiam cunctis clericis et ceteris fidelibus nostris iniungas, ut eius exequias omni cum deuotione solempniter celebrantes, animam eius cum decantatione missarum et aliis ecclesiasticis sacramentis diuine misericordie recomendent, manifestis inditiis ostendentes, quod sicut in gaudiorum nostrorum tripudiis exultant hylariter, *sic et doloribus nostris condolere fideliter uideantur. Datum etc.*

Mense Martii iustitiarum remoti a suis officiis aput Fogiam ab Imperatore uocantur; et tunc Ryccardus de Monte Fuscuro, qui fuerat iustitarius Capitinate, cogitur reddere rationem, et tam contra ipsum quam contra alios fit inquisitio Imperatore mandante. Eo mense Thomas de Montenegro ab Imperatore capitaneus aput Tybur dirigitur. Mense [A]prilis [P]renestinus episcopus et Oddo [c]ardinalis de Regno aput [T]ybur sub ducatu Dybboldi de Dragune mittuntur. Brexiensis episcopus et Bergamensis electus uocati ab Imperatore de Lombardia in Regnum ueniunt, qui aput Sanctum Germanum moram facere elegerunt, expectantes ibidem Imperatoris aduentum.[Page 215]

Mense Madii Andreas de Cicala Regni capitaneus, iussu Cesaris congregato exercitu tam militum quam seruientium de Regno, super Reate uadit, quam exterius totam deuastat. Dux Spoleti pro parte Imperatoris super Narniam uadit, et quam potest facit in exterioribus uastitatem. Denarii noui dantur in Sancto Germano. Romani super Tybur uadunt, et illam in oliuis, uitibus et aliis crudeliter deuastant. Ipso mense Madii exercitus imperialis de Marchia uadit super Asculum, et ipsam ciuitatem obsidet exterius et diuastat. Mediolanenses et Brexienses cum eorum complicibus qui sunt eis aduersarii et qui partem fouent Imperatoris hostiliter impugnant; qui castrum quoddam quod Yseum dicitur de episcopatu Brexiensi ui optinent et recipiunt ad mandatum suum. Reginus et Taurinus episcopi de Lombardia ad Imperatorem in Apuliam uadunt. Homines demanii ubicumque inuenti per abbatiam Casinensem reuocantur, et compelluntur de mandato principis ire ad habitandum ad Ciuitatem nouam. Mense Iunii Asculum se reddit et uenit ad mandatum Imperatoris. Thomas Acerrarum comes capitaneus in Syriam transfretat. Berardus comes Manuplelli iussu principis in Sardiniam uadit. Patriarcha Aquilegensis qui pro facto Tartarorum ad Imperatorem uenerat, licentiatum ab eo in sua recedit. Imperator ipse de Apulia tunc uenit Capuam, et inde per Sanctum Germanum et per Aquinum transiens, uadit ad Ciuitatem nouam, ubi per dies aliquot moram faciens, uersus Soram uadit, et inde procedit in Marsiam, ubi aput Auezanum per totum ipsum mensem Iunii moratus est. Mense Iulii congregato exercitu copioso super Urbem uadit, et hostilem faciens in exterioribus uastitatem. Mense Augusti in Regnum reuersus est. Eo mense Oddo cardinalis liberatur et episcopus Prenestinus cum magistro Iohanne Toletano reducti a Tybure, in rocca Iani, que est super Sanctum Germanum, seruandi traduntur[Page 216]

Philippo de Sancto Magno tunc castellano, duobus postmodum baronibus ad eorum custodiam deputatis. Ipso mense Augusti Imperator ante recessum ab obsidione Urbis statuam hominis eream et uaccam eream similiter, que diu steterant aput sanctam Mariam de Crypta ferrata et aquam per sua foramina artificiose fundebant, in Regnum, aput Lucerium, Apulie ciuitatem, ubi Sarraceni degebant, portari iubet. Mense Septembris comes Tolosanus aput Melfiam in Apulia ad Imperatorem uenit, qui per totam hyemem fuit in Regno. Hoc anno Henricus de Morra Magister quondam iustitarius in Apulia naturali morte deficit. M^oCC^oXLIII^o. Mense Ianuarii generalis collecta per totum Regnum exigitur. Mense Februarii milites omnes qui seruire tenentur, iubentur ex parte Cesaris in equis et armis bene parari, ut esse debeant in Kalendis Aprilis primo futuris ad seruitium suum. Mense Martii. Mense Aprilis Imperator de Apulia congregato exercitu uenit in Terram Laboris, ad quem summoniti milites in equis et armis omnes conueniunt, nec non et certus numerus seruientium de qualibet terra de Regno. Mense Madii Imperator ipse de Capua mouens, et per Sanctum Germanum transitum habens et per Aquinum aput Flagellam se contulit; ubi faciens aliquandiu moram, inde per Campaniam facto ponte super flumen Ceperani transitum habens super Urbem uadit, ubi turres nonnullas funditus fecit euerti, faciens in aliis etiam quam potuit uastitatem; et tunc ad preces cardinalium ab Urbe discedens, est reuersus in Regnum.

Item mense Madii Prenestinus episcopus Imperatore mandante liberatus est, et aput Anagniam ad cardinales cum honore remissus.[Page 217]

Mense Iunii Sinibaldus tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis aput Anagniam in papam Innocentium III. creatus est de uoluntate et consensu omnium cardinalium; quo audito dominus Imperator, qui tunc erat Melfie, ubique per Regnum laudes iussit Domino debitas decantari.

Mense Iulii Imperator ad papam mittit aput Anagniam Berardum Panormitanum archiepiscopum, magistrum Petrum de Uinea et magistrum Taddeum de Suessa pro bono pacis; a quo benigne satis recepti sunt, et benignum ad principem retulerunt responsum.

Eodem mense Iulii discursus syderum de nocte uisus est in festo sancti Iacobi, ita ut unum contra alterum quasi hostem insurgerent, et inter se hostiliter dimicarent. Tunc ciuitas Uiterbii, procurante magistro Raynerio cardinali, uenit mense Augusti ad mandatum ecclesie, comite Symone Theatino pro Imperatore se tenent in ea. Quo audito Imperator mox sine more periculo, se personaliter contulit.

Mense Septembris ad succursum predicti comitis, et ad recuperationem ciuitatis ipsius, et congregato exercitu copioso obsedit eam, et statutis machinis tam uiris quam uiribus dire satis impugnauit eandem. Qui cum in nullo proficeret, recepto et libero dimisso ex pacto comite predicto et suis qui cum eo erant, ab obsidione recessit, et inde Grossetum se contulit,[Page 218]

ubi quasdam edidit sanctiones contra iudices aduocatos et notarios, quas per totum Regnum publicari precepit et tenaciter obseruari, quarum initium tale est: *Nichil ueterum authoritati detrahitur.*

Ipsa mense Septembris comes Tolosanus de Apulia uenit ad Sanctum Germanum, ibique moram protrahens, inde uersus Aquinum, et postea aput Sanctum Uitum de Melfa se contulit, ibique per dies aliquot uenationem exercuit.[Page 219]

Mense Octobris circa festum omnium sanctorum Innocentius papa Urbem intrat, cum honore senatus populique Romani magno receptus; ad quem dictus comes uadit, tractans inter ipsum et Imperatorem bonum pacis.

[Home](#)

Ryccardus de Sancto Germano. Date: 2014-03-07
